

(4)
TRANSLATIO
CORPORIS
PII PAPAE QUINTI
BEATÆ MEM.


Quam sollemni sanctoq. pietatis officio

S. D. N. SIMONE V. PONT. MAX.
CELEBRAVIT

VI. Idus Ianuarij. Anno M. D. XXXVIII.

*Cuius actionis, sempiterna memoria digna
Commentarium*

P. GALESINIVS PROT. APOSTOLICVS
CONFECIT



ROMÆ

Ex Typographia Vaticana, M. D. LXXXVIII.

(4)
TRANSLATIO
CORPORIS
PII PAPAE QVINTI
BEATÆ MEM.

Quam sollemni sanctoq. pietatis officio

S. D. N. SIXTVS V. PONT. MAX.
CELEBRAVIT

VI. Idus Ianuarij. Anno M. D. XXCVIII.

*Cuius actionis, sempiterna memoria digna
Commentarium*

P. GALESINIVS PROT. APOSTOLICVS
CONFECIT.



ROMÆ,

Ex Typographia Vaticana. M. D. LXXXVIII.

3

M O
REVEREND. D. EPISCOPO
B R I X I E N S I

Apud Christianissimum Galliarum Regem.
Nuncio Apostolico

P. GALESINIUS PROT. APOSTOLICVS
S. D.



VANTVM meum studium semper fuerit colendæ amplitudinis tuæ, id etsi nullo antea officio vmquam declaravi, tamen ijs perspectum esse potest, quibus ignotus non est animi mei sensus. Nunc sane vero cum occasionem nactus sim, quam semper optavi, eam amplecti maxime volui, vt agnoscas tandem aliqua saltem in re, etsi minima illa quidem est, propensam erga te voluntatem meam. Næ ego sane quidem causa tua, si quo modo possem;

4
vel libentissime magna præstarem : verum cum hæc non possim, parua certe negligere non debeo. Neque autem dubito, quin meam hanc propensionem pluris facias, quàm muneris amplissimi magnitudinem. Cum igitur optime intelligam, quanto et quàm ardenti, ac singulari potius piarum actionum studio tenearis : pro mea erga te obseruantia nomini tuo inscripsi commentarium de re plenissima pietatis. Nuper enim Romæ e beati Petri, Apostolorum Principis, basilica Vaticana ad basilicam Exquilinam sanctæ Mariæ Maioris corpus Pij Quinti, Pontificis gloriosæ memoriæ translatum est, magna, et religiosa vereq. christiana funeris pontificij pompa, atque exemplo in perpetuum commemorabili. Id gratissimi ac summe pij animi opus, ei religiosissimus, idemq. sapientissimus Pontifex SIXTVS QVINTVS præstitit : qui ad optima quæque accensus, cum in dies magis atque magis ad præclare et sancte agendum progrediatur, neque vllos vmquam fines sibi in rectissimo illo cursu præscripserit : iam ad summum veræ solidæq. gloriæ gradum peruenit.

5
uenit. Hæc porro actio in vrbe vno ore laudata, nō modo summis viris, sed medijs atque infimis hominibus sanequam grata extitit. Quare ea in spe esse possum, commentarium hunc meum, quamuis minus luculenter, sed vere ac pie de re pia scriptum, fore pene cunctis acceptissimum, tibiq. præsertim, qui cum ad pie in primis facta desiderio vehementer exardescas, tum et Pij Quinti gloriæ immortalis faues, et SIXTI QVINTI Pontificis laude frueris. Cum autem meritorum, quibus Pius circumfluit, amplitudo late pateat, et ad vniuersum prope Christianum orbem pertineat, non equidem, quæ huius commentarij litteris mandauit, ingrata fore spero neque ceteris gentibus, neque nationi potissimum Gallicæ nobilissimæ : cui ob præclara beneficia, quæ a tanto Pontifice Gallia omnis accepit, illius memoria recordatioq. semper debet esse quàm iucundissima. Ita sane opinor, ita confido certe. Quod reliquum est, si quam mihi occasionem dederis, qua tuæ possim obsequi voluntati, ita hanc animi mei erga te propensionem, quam his litteris præ me tuli, præstare co-

re conabor, vt causa tua facturus sim omnia;
et curaturus cum studiose, tum vero liben-
ter. Vale.

C O M M E N T A R I V S
DE SOLLEMNI TRANSLATIONE
CORPORIS PII V. PONT.

beatæ memoriæ.



VARVM virtutum gloria in primis reipu-
blicæ Christianæ decus continetur, earum
exempla cum plurima, tum maxima po-
steris reliquit Pius Quintus, sempiterna
memoria Pontifex dignissimus: qui om-
nibus pontificijs laudibus affluens, omnem laudationis
nobilitatem virtutum magnitudine longe superauit.
Itaque illius et vitam sancte actam, et res maximas, sa-
pienter diuineq. gestas sæpenumero cogitanti mihi, nul-
lus vel præclarissimus verborum ornatus, nullæ oratio-
nis opes vel amplissimæ esse videntur, quibus summæ
eius laudes, omnium gētium sermone, grauissimorumq.
virorum iudicijs, ac testimonijs celebratæ, ne recenferi
quidem, ne dum digne satis, ac merentur, exornari vllō
modo possint. Sed quoniam illud natura ipsa affert, vt
homines, qui de nominis sui gloria cogitant, alienæ vir-
tutis prædicatione ad præclare agendum impellantur,
atque excitentur: non equidem deerit, vt neque sane an-
tea defuit, qui tanti Pontificis facta egregia litteris man-
det, haudquaquam operis tam ardui difficultate deterri-
tus, sed luculentis vtilitatibus, atque adeo exemplis ac-
census, quæ ex commemorabili illius laudatione afferri
queunt

queunt ad inflammandum summorum virorum de re christiana publica promerendi studium. Fuit enim Pius Quintus exemplar summum veræ pietatis, clarissimum catholicæ religionis lumen, splendor sanctitatis, ornamentum rei christianæ omnis maxime illustre, præcellentium virtutum specimen singulare: et is denique, in quem in celsissima apostolica sede cum gloria, laudeque versantem, omnium principum oculi conuertebantur, tamquam cælestium diuinarumque rerum speculum. Nulla igitur ætas de immortalibus conticescet laudibus optimi illius Pontificis: cui consensione, et conspiratione quædam admirabili cunctæ nationes ac gentes tantum quidem iure meritoque tribuunt, quantum certe maximum alij præterea nemini Pontificum, qui multis ab hinc sæclis rerum gestarum gloria floruerint. Nullus locus est pene toto terrarum orbe, ubi ad perpetuitatem stabilis non sit memoria factorum eius, quæ plane omnia gloriosa sunt, illustria, atque exposita ad imitandum. Sunt ubique fere impressa vestigia solidæ illius pietatis, religionis, et sanctitatis, cuius clarissimis quasi ignibus inflammatus, iam inde usque ab ineunte ætate præluxit perpetuo. Sunt in cuncta republica Christiana non leuiter fixa monumenta bonorum omnium: quorum vbertate, et copia is refertus atque cumulatus, in omnem prouinciam usquequaque illa diffudit. Notum autem est omni hominum generi amplum illud, excelsum, ac diuinum studium, quo semper is exarsit ad Christi regni propagationem: perspecta est, ac plane cognita, maximisque in rebus explorata eius virtus, quæ cælesti robore communita, non infringi, non comminui, non labefactari ullis vel turbulentissimis temporibus potuit.

Quid

Quid multis? Pius Quintus in omne sane tempus vitæ, quam grauem plenamque sanctimoniam numquam non egit, ita diuino munere beneficioque se instituit, ut cum quæ de Deo, fide catholica, et sanctissimis religionis christianæ decretis tradita sunt, ea sola in primis potiora habuerit, bonis gratus semper extiterit, formidolosus improbis, ac plane admirabilis omnibus. Pontifex autem factus, cum Christi optimi, maximi vicarium se gerere videret, pontificiæ suæ sollicitudinis neruos eò intendit, ut ad omnes usque oras terrarum extremas, regionesque vel disiunctissimas semina propagaret verissimæ disciplinæ, cuius cælestibus ornamentis fuit quam florentissimus. Quotus igitur quisque in omni ætate erit, usque adeo a rationibus publicis auersus, qui Pij Pontificis nomini non faueat? qui amplificator esse nolit gloriæ eius? nemo certe ingenio præditus, nemo ad dicendi, aut certe ad scribendi doctrinam eruditus, vlllo vnquam tempore esse debet, qui solertiæ eloquentiæque suæ opes libentissime non conferat ad illius amplitudinem, qui sempiternis est laudibus prædicandus, cum ex prædicatione fructus quam vberimos existere posse intelligat. Ostentent Rhetores tum latini, tum græci, quemadmodum solent, cum in eiusmodi scriptionis curriculo versantur, patriæ claritatem, maiorum imagines, generis splendorem, familiæ dignitatem, atque honores eorum, quos summe dilaudare gestiunt. Næ hi quidem loci sunt, tamquam fontes, vnde non modo Ethnici, sed christiani scriptores, præsertim Gregorius Nazianzenus, vere christianus Demosthenes, laudationis argumenta, atque adeo ornamenta, et præclara orationis lumina sumunt. At partibus longe maioribus, et illis quidem, quæ ad

B

veram

veram nobilitatem, veramq. ac sempiternam gloriam maxime insignes sapientum iudicio putantur, amplissimum campum, in quo exultare possit oratio, habent, qui diuinas illas Pij Quinti virtutes, actionesq. præcellentes antea scripserunt, aut fortasse deinceps conscribere agredientur. Ego sane vero cum res eius tantas tamq. immensas litteris mandare, opus esse videam multi temporis, ac multarum vigiliarum, id in præsentem mihi sumere non sum equidem ausus: verum de pontificum vitis libros, quos iam pridem institui, in lucem emittam, tum demum in eo enitar atque contendam, vt in illarum explicatione et singulare studium, et diligentia tanta appareat, quantam ego maximam præstare summopere cupio, ac plane debeo. Ita enim postulat cum mea perpetua erga eum Pontificem veneratio ac pietas, tum illius non modo virtutum egregia commemoratio, sed optime factorum iucunda recordatio, et denique publicarum vtilitatum, quas ex eius laudum recta prædicatione dimanare posse perspicio. Nunc ea tantum breui enarrando persequar, quæ pertinere aliquo modo possunt ad sollemnem actionem: quam, omni pietatis nomine illustrem, ad illius corpus transferendum nuper sanctissimus idemq. sapientissimus Pontifex SIXTVS QVINTVS adhibuit summa cum illius meritorum testificatione. Ita enim fiet, vt ex hoc suscepto narrationis meæ munere omnes facile intelligant, non modo pij gratiq. animi erga optimum Pontificem officia, verum etiam translationis illius tum rationes, tum ritus sollemnes: quorum disciplinam ad posteritatem litteris prodere operæpretium esse existimaui. Nam tota hæc commemoratio, vt maxime eorum, qui de religione catholica recte sentiunt, animos

mos in omnes pie agendi partes confirmabit: sic vehementer labefactare potest consilia, studiaq. hæreticorum, ab apostolicis veteribusq. pietatis institutis abhorrentium. Magnis igitur virtutum cælestium ornamentis Pius Quintus diuine excultus, vna, præter ceteras, virtute amplissime floruit, quæ omnium decus atque excellentiam in se continet. Est ea porro virtus humilitas, quæ cum præstantissima sit, tum tanta est eius altitudo, vt in cælum etiam penetret. Quid ergo mirum esse potest, si tam excelsæ virtutis viam iam inde vsque a puero ille ingressus, tum in omni ætate admirabiliter progrediens, cum perpetuum in ea cursum tenuerit, ad celsissimam dignitatem, ad summum decus, summamq. gloriam, nullis etiam sæculis interituram, peruenerit? Nec vero quis præterea miretur, si tanta is virtute instructus atque ornatus, nihil vnumquam non egit nisi pie, nisi sancte, nisi sapienter, nisi iuste, nisi fortiter, atque adeo constantissime, cum humilitas, virtus vna sit virtutum omnium seminarium. Hic mihi liceat Pij Pontificis donorum, quibus illum Deus instruxit, supellectilem mirificam, omnibus copijs cumulatissimam, aliquo modo explicare, vt inde tamquam vno oculorum aspectu omnes cernant tum causas iustissimas, tum rationes illas etiam grauissimas, quibus summus Pontifex SIXTVS QVINTVS sapienter diuineq. adductus, illius merita tam singulari studio, tam pia gratiq. memoria, ac tam sollemni, atque adeo tanto pietatis officio prosequi voluerit, quantum profecto nulla vidit vnumquam fortasse maiorum nostrorum ætas, vel ab vltimis illis ducta temporibus. Cum primum igitur, diuino munere, beneficioq. Pius, in humilitatis, cuius summæ virtutis auctor et magister cælestis est Chri-

stus, rerum omnium dominus, curriculo vestigia firmiter impressit: ab eo vniquam non modo non deflexit, sed in amplo illius spatio semper versatus, multiplicium etiam aliarum rerum optimarum, et studiorum cursus maximos vsque adeo confecit, vt in omni laudis genere flourerit. Ea enim sola est ad gloriam via, quæ in humilitate, sanctissimis litteris exornata, consistit. Diuinitus ergo tanta virtute innixus Pius, iam inde ab ætatis initio in sancti Dominici ordine adscriptus, incredibiles progressiones fecit, cum ad ingenuarum artium disciplinas, theologiæq. scientiam, tum vero ad ceteras virtutes: quæ omnes hominum, propriam imbecillitatem agnoscentium, atque diuinam opem expetentium, animos ab omni superbia vacuos requirunt. Explicatu autem difficile est, quàm mirabilem in modum progressus sit ad pietatem, cuius omne officium, munus, et opus in illa ipsa christiana humilitate præclare cernitur. Is autem, qui vsque quaque recte progrediendo, ita se egregie instruxit, quàm etiam plane vigilans semper extiterit in morum castitate, continentia, abstinentia, omni viuendi ratione, quam vel in summo Pontificatu ab omni profuso cultu remotissimam esse voluit, secum quisque cum animo suo cogitare potest. Ego vero sane non possum satis non admirari, summisq. efferre laudibus magnum illum, intimiq. animi ardore inflammatum zelum religionis catholiçæ: pro qua is illius excelsæ virtutis præsidio munitus, cum in omni temporum varietate contra viros impios, atque hæreticos, contumaciæ, pertinaciæq. spiritu elatos, quorum odio tabescebat, egregijs dimicationibus pugnauerit: numquam profecto in tam præclara defensione nec audacissimorum hominum insignes contumelias ac mi-

nas,

nas, nec potentum grauißimas inimicitias, nec vitæ pericula certissima extimuit. Verum eniã luminosæ, actiuosq. tanti Pontificis virtutes, summa sapientia, mira iustitia, moderatio singularis, præstansq. animi magnitudo. Atque has quidem cunctas virtutes etiam humilitas illa sancta amplectitur, quam is eximie coluit. Cum namque humanarum rerum inconstantiam mente secum reputaret, tum sapientiæ munere vsus, numquam se extulit in rebus prosperis, et ad voluntatem fluentibus: neque autem in aduersis animum vniquam despondit. Deinde cum se ipsum agnosceret, numquam alienum decus appetijt, aut alia sibi non conuenientia, vsurpauit: quod ad iustitiæ officium pertinet, a cuius æquitate numquam ne transuersum quidem vnguem declinauit, neque pulsus iniurijs, neque priuatim læsus contumelijs, neque vllis adductus præmijs. Et vero naturæ infirmitatem cum consideraret, omnia gessit quàm moderatissime: neque vel in summa rerum potestate, temere, inaniq. iactatione elatus et inflatus se vniquam anteposuit. Immo quos omnes dignitatis amplitudine longe superauit, eos humanitatis gratia, et commendatione sæpenumero deuinxit. At denique qui sibi legem indixerat humilitatis, in eo tam alti animi vis eluxit, vt, cum vniuersitatis huius architectum auctoremq. Deum assidue contempleretur, humanas cunctas opes pro nihilo duceret, nihilq. magnum atque excelsum putaret, quod diuinis, æternisq. opibus non esset exaggeratum. In contemplationibus autem toto animo fixus vsque adeo hærebat, vt, quoad fas est, diuinæ virtutis lucem intueretur: cuius claritate illustratus, cum alia multa, tum illam de Turcarum classe partam victoriam, omnium gentium omniumq. sæculorum,

lorum prædicatione celebrandam, et præuiderit, et prædixerit. Quid? quòd militaris rei gloria clarus bellicisq. victorijs horribilem in modum elatus, Turcarum Imperator Solimannus cum Sigetum in Pannonia inferiori obsidet, non Christianorum copias innumerabiles, ac bellicosissimas se pertimescere dictitabat, sed Pontificis Pij orationis assiduæ arma, quibus se posse vinci profitebatur. Resq. ita cecidit, vt valde metuebat, cum in ipsa obsidione interierit. Admirabilis est igitur virtutum eius magnitudo, cuius facta præterea, ac merita amplissima vbique terrarum splendore elucescunt maximo. Is in omnem vitam id negotij suscepit, vt Dei in primis gloriæ seruiret, cunctis prodesset, noceret nemini, opem ferret miseris, excitaret afflictos: tum Pontifex ardentius ad illa omnia accensus, in eam curam totis in Christo visceribus summopere incubuit, vt Ecclesiam vniuersam, ad cuius gubernacula sedebat, bonis omnibus affluentem, ac florentissimam redderet: cleri populiq. iam pene perditam et senescentem disciplinam sanctionum luculentarum monumentis renouaret, exemplorumq. suorum claritate admirabili collustraret: gregis commissi salutem, et salutes fructus quæreret: Rei christianæ publicæ tranquillitatem conseruaret, eiusq. denique rationibus vniuersis, quantum in se esset, quàm optime consulere in perpetuum. Quid non egit? quid non attigit? is scilicet, qui tantis, tamq. egregijs ac diuinis animi præsidijs corroboratus, summarum virtutum vim et copiam excitauit, facinorum et vitiorum colluionem sustulit, viuendi licentiam, longe lateq. diffluentem coercuit, perditissimorum hominum temeritati, vel potius proiectæ audaciæ restitit, impiaq. scelera compressit, hæresum

incen-

incendium multis locis restinxit. Næ is certe quidem ille ipse est, qui ab hæreticorum motibus, bellisq. intestino dissidio atque odio conflatis, Galliam varie vexatam, et perturbatam, recreauit copijs pontificijs, atque in discrimen adductam ab omni periculo liberauit: Regemq. Carolum Nonum, cui ingentem etiam pecuniæ opem tulit, tanta regni sui tempestate mærentem, consolando, consilio, et re iuuuit omnino. Quis est, qui nesciat, Pium Quintum, ad Ecclesiæ gubernationem diligentissimum, et vigilantissimum Pontificem, cunctis christiani orbis partibus aliqua difficultate laborantibus, omni auxilio subuenisse? Hoc maxime liberale est, plenumq. summæ charitatis officium, hoc maxime munificum, hoc plane pontificium, hoc quodam modo vere proprium Pij Pontificis: qui supplicibus subsidium dare, excitare afflictos, e periculis homines eripere voluit: quiq. perpetuo laborem, curam, sollicitudinem Reipublicæ catholicæ promptam, expeditamq. præbuit. Multa sunt tantæ eius bonitatis, beneficentiæ, benignitatis, qua mirandum in modum is excelluit, impressa multis locis monumenta. Magnis enim honoribus, præmijs, ac beneficijs cum ceteros bonos omnes, pietatis potissimum, doctrinæq. studijs præcellentes, tum principes etiam viros, præclare ad rem catholicam animatos, affecit: quos, tamquam egregios Ecclesiæ filios, eximie dilexit, charissimosq. semper habuit. Cuius rei illud argumento est, quòd Cosmum Medicem, optime de republica Christiana meritum, Magnum Hetruriæ Ducem, eiusq. posteros in perpetuum declarauit, pronunciauit, et constituit. Verum enim uero maximum illud est beneficium, quod amplissime patet, et ad omnes pertinet, quodq. orbi christiano salutare, sapif-

sapissime recordari iucundissimum videtur: cum sempiternæ memoriæ illud commendatum nemo vñquam velit, nec vero debeat obliuione voluntaria conterere. En igitur fœderis sanctissimi auctor Pius Quintus: en auctor atque adiutor ad bellum non modo suscipiendum, sed conficiendum contra Turcas, sempiternos nominis populiq. christiani hostes: en auctor, et princeps tam admirandæ, tantæq. contra barbaros victoriæ, quanta maxima vñquam nulla omnibus ætatum, sæclis extitit. Is porro in omni Ecclesiæ recte gubernandæ officio vigilans, Republica Christiana ob ingentem Turcæ teterrimi inimici classem in periculum adducta, fœderis societatem cum Philippo Hispaniarum Rege, vere catholico, et Republica Veneta, quàm diligentissime et sapientissime iniit, bellumq. contra hostem, victorijs insolescentem, celerrime conflauit. Nec vero iam bello affecto, classeq. instructa locum cohortationibus, aut monitionibus, neque adeo precibus, et sanctæ sollicitudinis officijs vñquam reliquit, vt quamprimum acie dimicaretur. Prælio igitur demum ad Echinadas insulas commisso, iuuante Deo, bene pugnatum est consilio tam sapientis, inuictiq. Pontificis, qui duces, antesignanos, cunctosq. classarios milites, quos primum ad omne pietatis munus opusq. instrui voluerat, atque ad certam victoriæ spem confirmarat, ad manum etiam cum hoste conferendam magis atque magis hortari, et impellere numquam destitit. Quid denique? fuit victrix classis christiana, tum virtute militum, tum in primis Pontificis sanctissimi, inflammato cælestium contemplationum studio orantis, præcesumma: ad quam diu noctuq. continenter attentus, a Deo, omnis victoriæ auctore, triumphum tantæ victoriæ tu-

riæ tu-

riæ auctore, triumphum tantæ victoriæ tulit. Quid hoc est? an amplissimum beneficium est? an maximum? an immortale? Hoc vno nimirum beneficio Pius Quintus, qui et fœderis, et belli, et prælij, et victoriæ princeps, auctorq. fuit, exultantem Turcarum audaciam repressit, Christianorum animos, paulo ante bellicis illorum offensionibus percussos, et pene iacentes erexit. Quid multis? flammam, ferrum, cædem, incendia, rapinas, latrocinia, libidines a christianorum vita, tectis, fortunis, propulsauit: a templis sacrilegia, ab oppidis direptiones et excidia, ab agris funestas illas vastitates, barbarorum immanitate, horribiles depulit. Et vero, vt summatim dicam, Pius Quintus, eximia diuinaq. virtute Pontifex, custos salutis omnium communis, subsidium afflictarum prouinciarum, magnis Reipublicæ Christianæ luctibus et funeribus necessario tempore subuenit: et ita subuenit, vt nemo sit, nisi vel tenui cogitatione præditus, qui illum immortalibus non celebret laudationibus. Tanta autem non solum maximarum virtutum, quas iam modo non paucas commemoravi, celebritate, sed pacis belliq. tam præclare gesti gloria florentissimus, atque ab omni meritorum laude felicissimus Pius, vt is erat, qui de se humiliter demisseq. sentiebat, in Liguriam post obitum ad oppidum Boscum, et illud quidem exiguum, vbi natus erat, eius corpus transferri ex testamenti tabulis voluit. Locum enim humilem, quo in sepulturam inferretur, consulto delegit, vt christianæ ac sanctæ humilitatis, cuius virtutis cultorem se egregium in omni vita ostendit, monumentum extaret perpetuum. At vero et cælestium bonorum, quibus ille affluxit, ingens multitudo, et eius tantarum rerum, optime gestarum copia commemorabilis,

C morabilis,

morabilis, et summorum erga omnes, ergaq. Ecclesiam Dei meritorum magnitudo admirabilis, illud maxime non tantum postulare, verum plane efflagitare videbatur, ut nedum in mera loci solitudine, sed etiam ne in vrbe quidem alia vel celeberrima, nisi Romæ tantum, velut in frequentissimo orbis terrarum teatro, memoria illius amplissimo consecraretur monumento sepulcri. Immo si quo vniquam alio fortasse loco illius esset corpus in sepulturam traditum, profecto inde ad urbem Romam transferendum erat: vbi sepulcris legendis vita, et exempla mortuorum Pontificum in memoriam viuorum reuocantur. Itaque factum est aliquando cum ob alia multa, tum maxime ob eam rem, ut e locis vel disiunctissimis Pontificum ossa sint Romam vsque delata. Sanctæ memoriæ Agapeti Pontificis corpus iam inde a Constantino poli, tam longissimo locorum interuallo, Romam asportatum esse narrant Pontificij annales. Nec vero iam attinet, cur alios, præsertim Ioannem Primum, commemorem, quem ad urbem e Rauenna esse translatum, litteræ ecclesiasticæ loquuntur. Res testatissima est, neque propterea pluribus dicam. Quod si vsquam alibi Pontifices esse ad sepulturam datos, neque inde translatos legimus, perpauci illi quidem sunt, aut certe ij tantum, qui neque multi sunt, qui pro aliqua temporum varietate, stationem in alio loco Pontificiam constitutam habere voluerunt. Sed hoc factum ita raro extitit, ut ad exemplum afferri optimo iure nequeat. Atqui, ut in præsentia ceteros silentio præteream, illud exploratissimum est, qui Piorum nomine Pontifices censentur, omnes sepulturæ honorem Romæ habuisse: quinimmo Pium Secundum Ancona, vbi decesserat, in sepulcrum Vaticanum ad urbem esse

esse translatum. Roma enim, ut est domicilium certum, stabilis sedes, statioq. firmissima ab Apostolorum principibus doctrina et martyrio consecrata, in qua deinceps Pontifices illi Apostolici, et martyres, tum ceteri, qui ordine successerunt, sibi manendum putarunt: sic perpetuum quoddam, quasiq. commune omnium ipsorum sepulcrum, tamquam monumentum videtur Pontificalium virtutum. Nulla est Romæ basilica, nullum fere templum, nullum vetus cæmeterium: vbi non sint corpora, ossave summorum Pontificum, aut vbi eorum sepulcra non spectentur. Nimis longum esset in singulis singula recensere. Vna tantum basilica Vaticana, ut ceteras iam tacitas relinquam, quasi ob oculos rem ponere videtur, quam asseuerare non est a proposito alienum, cum rerum ecclesiasticarum commentarij, tabulæq. Romanæ id ipsum planum faciant. Sunt in ea sola basilica sepulti primum Pontifices martyres, Linus, Cletus, Anacletus, Euaristus, Sixtus Primus, Telesphorus, Iginus, Pius Primus, Eleutherius, Victor, Fabianus, ut ex Sergij Secundi epitaphio perspicitur, et Ioannes item Primus. Confessores autem Pontifices, hi scilicet, Leo Primus, Secundus, Quartus, et Nonus: Gregorius Primus, Secundus, et Tertius: Simplicius, Gelasius Primus, Symmachus, Hormisdas, Felix Quartus, Bonifacius Quartus, Agapetus Primus, Eugenius Primus, Agato Primus, Benedictus Secundus, Sergius Primus, Zacharias Primus, Paulus Primus. His adiunguntur eorum Pontificum sepulcra, qui Ecclesiæ Dei pie sapienterq. administratæ laude efflorescunt, quales sunt, Leo Quartus, et Sextus, Gregorius Quintus, Bonifacius Secundus, Tertius, Quintus, Sextus, Octauus, et Nonus: Ioannes Secundus, Tertius, Quartus, Quintus,

C 2 Septi-

Septimus, et Nonus: Pelagius Primus, et Secundus: Deusdedit Primus, Honorius Primus, et Quartus: Severinus Primus, Theodorus Primus: Eugenius Secundus, Tertius, et Quartus: Vitalianus Primus, Adeodatus Primus, Donus Primus, et Secundus: Benedictus Tertius, et Octavus: Cono Primus, Sergius Secundus, et Quartus: Sisinus Primus, Constantinus Primus, Stephanus Secundus, Tertius, et Quartus: Hadrianus Primus, Tertius, et Quartus: Paschalis Primus, Nicolaus Primus, Tertius, et Quintus: Urbanus Secundus, Cælestinus Tertius, Innocentius Septimus, et Octavus: Pius Secundus, et Tertius, Sixtus Quartus, et reliqui multi nostræ memoriæ. Quorum omnium summa si subducitur, sine dubio numerus conficitur amplius nonaginta. Cui numero, si aliorum præterea accessio fit, qui in sacris reliquis ædibus, et basilicis, præsertim Lateranensi, vbi olim habitatio antiqua Pontificalis fuit, sepulcra habent: profecto ratio omnis, quam proposui, plane inter se constat. Romæ ergo, neque vsquam alibi, tantarum virtutum, quibus Pium Quintum valde admodum redūdasse vnusquisque fatetur, perpetua quædam quasi imago ponenda erat: quæ inter mortua extitisset, nisi in ipsa vrbe, communi cunctarum gentium patria, et in celeberrima basilica, sacelloq. amplissimo, ac vere Pontificio, quò ob Præsepe Christi Domini magnus fit hominum concursus, loco ornatissimo, vt mox dicam, spectaretur iucundissima cum recte factorum illius recordatione. Hic non possum non vehementer admirari, magnificeq. commemorare, vt certe nemo quisquam est vllius generis, ordinis, lociq. homo, quin suspiciat, dilaudet, atque admiretur Pontificis, ab omni gloria felicitis, SIXTI QUINTI commemorabile factum, præclarif-

clarissimumq. pietatis opus, quod nuper Pio Quinto præstitit: cum præsertim tale sit, in quo eius eluceat et gratissima animi voluntas, et sapientia beneficijq. publici magnitudo. Sunt equidem, quemadmodum exposui, maxima in Ecclesiam Dei merita, singulariaq. beneficentiæ, benignitatis, et liberalitatis officia, quæ Pius beatæ memoriæ in omnes contulit non sine immensæ charitatis testificatione. Ea pleno ore, nemo est, quin laudet, amplissimisq. efferat verbis, etiam si quis est, cuius animus angustis inuidiæ finibus continetur. Et vero illa ipsa Reges, et Principes pia memoria prosequuntur. At omnium longe et re ipsa, et animo gratissimus SIXTVS QVINTVS, vt est etiam rerum æstimator acerrimus, Pij Pontificis tum virtutes, ac merita, tum beneficia, quæ vrbi, orbi, sibiq. item ille præcipua voluntate tribuit, non solum grato semper animo expendit: sed memorem se necessaria officij ratione, verborumq. grauitate professus, factis demum præbuit, ad sempiternam laudem insignibus. Voluerat ille ex testamento, vt narraui, corpus suum Alexandriam in Insubriam ad monasterium Boschense asportari. Sed cum sane id ipsum multis post eius obitum annis numquam curatum sit: factum equidem videtur consilio Dei, qui tanti pontificis, quem necessario tempore Ecclesiæ suæ dederat, memoriam augustissimo monumento consecrari voluit in vrbe, vnde, tamquam e fonte ac seminario, ad omnes dimanant exempla Pontificalium virtutum. Sapientissime hoc omne SIXTVS QVINTVS animaduertit: qui, vt est Pontifex religiosissimus, solet in primis officij sui momenta perpendere voluntatis diuinæ significationibus. Itaque cum rem Deo acceptam, rationibusq. publicis accómodatam, se facturum intel-

intelligeret: grati etiam ac pij erga Pium Pontificem animi desiderio inflammatus, sanctissimisq. multis causis, quas quoque exponam, adductus, illius corpus, quod alio asportandum erat, Romæ diuina prouidentia diu retentum, e basilica Vaticana, beati Petri Apostolorum Principis, ubi ad tempus lapideo in sepulcro repositum erat, in sanctæ Mariæ templum amplissimum, ad præsepe, frequentissimo clero, populoq. et sancto ac sollempni officio, ut suo loco exponam, rite transferendum, atque in Sacello Sixtiano, a se extructo, monumeto præclaris operibus exornato, recondendum impense curauit. Hæc sane actio spectanda est eo diligentius, quo illustrior multis nominibus videtur, et quo plenior est documentorum, quæ inde percipiuntur. Vix vlla vel nimia verborum cura, vel graui, expolitaq. sententiarum vi explicari licet illas pietatis, sapientiæ, animi præstantiæ, aliarumq. præcellentium rerum partes, quæ in ea splendent. Satisfecit eo vno officio Pontifex Maximus SIXTUS et gloriæ Dei, qui tam præclaram rem ac religiosam, quam in Ecclesia sancta aliquando præstare oportuit, ad Pontificatus sui tempora reseruauit, et animi sui, ad eam pie admodum exardescens, desiderio, et votis expectationiq. omnium illam ipsam expetentium. Id rei tantæ munus ardentem cupiebat vrbs æterna Roma, quæ se immortalibus Pij Quinti beneficijs collustratam esse videt. Id Reges, ac Principes desiderabant, qui illius Pontificis æquitatem, moderationem in omniq. negotio constantiam, et inauditas ceteras virtutes experiundo cognouerunt. Id Regna maxima quodam modo postulabant, quæ in discrimen adducta, ab omni periculo integra, atque ab omni perturbatione eiusdem subsidijs facta recta

confer-

conseruata sunt. Id Respublica Veneta expectabat, quæ Turcarum furoribus afflicta, in illius auxilio conqueuit. Id boni omnes deposcebant, quos ille perpetuo fouit, aluit, cohonestauit, honoribusq. auxit. Id denique quasi tacitis vocibus implorabat Ecclesia vniuersa, quam tunc varie diuexatam, multisq. partibus labentem, tam firmis præsijs communiuit. Iure igitur de eo præclare factò, quod ad omnes pene aliquo modo attinere potest, fit gratulatio SIXTO QUINTO Pontifici: cuius sapientiæ, est, cur eo etiam nomine plurimum debeatur, cum ex illo monumento, quod Pio felicis memoriæ posuit, aliquid sibi quisque capere possit ad eruditionem, functionemq. muneris sui. Multiplex est enim illius vis, si profecto res, ut par esse videtur, recta reputatur via. Neque hoc loco id differam, quod omnis est sepulcri, aut monumenti commune, cum nemo ferme sit, qui penitus ignoret, eo in primis ad memoriam reuocari mortem, quam obire nos oportet, quoniam nati omnes ea lege sumus, ut moriamur. Est ea sane recordatio, et commentatio vberima, magnis plena mysterijs christianæ philosophiæ, ideoq. salutaris, et homine christiano digna. Quare scriptum est diuinitus: Memorare nouissima tua, et in æternum non peccabis. Nec vero illud sine causa olim factum est, ut in cæmeterijs, locisq. apertis sepulcra publica extruerentur. Id ipsum certe quidem cunctos, etiam summos viros, tale monumentum monet. Verum alia sunt, neque contemnenda, ad quæ erudiri homines possunt, cum ex iucunda eius inspectione, virtutes, actiones, ac promerita Pij Quinti in mentem veniunt. Nam habent, qui ad beati Petri nauis gubernacula sedent, Pontifices Romani sanctissimum, cuius aliquando mo-

numen-

numētum intuebuntur, Pontificem, ad imitationem expositum, vitæ Pontificiæ magistrum, Ecclesiæq. vniuersæ bene gerendæ vsu peritissimum gubernatorem. Habent, qui Ecclesijs præsidet, totius pastoralis tum disciplinæ, tum administrationis curæq. ducem optimum: qui rempublicam gerunt, ciuitatis recte administrandæ principem æquissimum: omnis denique multitudo eum, vnde humilitatis, moderationis, mansuetudinis, clementiæ, benignitatis, aliarumq. optimarum rerum exempla capiant. Et verò habent, qui in theologiæ scientia versantur, eximium theologum: qui contemplationi se dedunt, meditationum diuinarum præstantissimum doctorem: qui rerum spiritalium studia colunt, omnis vitæ sanctæ præceptorem. Quid multis? illud monumētum, tam sapienter positum, cum plurima alia præ se fert, quæ breui commentario vix, ac ne vix quidem explicari possunt: tum hoc etiam ostendit, ac docet, vt cum Pius Quintus in huius vitæ stadio bonum certamen certauerit, fidem serauerit, cursum consummauerit, et ad propositam sibi mercedem lætus gaudensq. properarit, illius exemplo, illiusq. fide, charitate, ac pietatis officijs et operibus excitati, id ipsum præstent, quicumque illud sempiternæ salutis præmium consequi volunt, omnes autem velle debent. Salutare est hoc documentum, quod eo ipso opere cunctis Pontifex sapientissimus SIXTVS præclare significari voluit. Insignes equidem sunt actiones eius omnes: sed hæc haudquaquam videtur ceteris inferior, quæ plena sapientiæ, plena pietatis, referta documentis, cumlata officijs non solum grati, sed excelsi animi, habet plurimum roboris cum ad pios catholicæ Ecclesiæ ritus confirmandos, tum ad impietatem omnem hæreticorum, ac

barba-

barbarorum explodendam. Porro de Pij Quinti Pontificis corpore transferendo, ac sepeliendo curam SIXTVS QVINTVS Pontifex suscepit: illud demū sollemni pompa transtulit, et sepeliuit. Est cura hæc sanctissima: est officium Deo gratissimum, Pontifici Pio debitum, Pontificia solitudine dignissimum, ad SIXTI QVINTI laudem insigne, maximeq. in Ecclesia sancta proprium, maximeq. illustre. Cura, inquit sanctus Augustinus, nobis debet esse mortuos sepeliendi, et sepulcra construendi: quia hæc in scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt. Nec solum in corporibus Patriarcharum, aliorumq. sanctorum, sed etiam in ipsius Domini corpore, qui ista fecerunt, laudati sunt. Impleant igitur homines erga suos officia postremi muneris, et sui humani lenimenta mæroris. Hæc ille: cum quo consentientes plane sunt diuinæ litteræ, quæ verum hoc pietatis opus ipsi Deo maxime placare ostendunt exemplo Tobix, cum quo Raphael Angelus in hæc verba loquitur: Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prædium tuum, et abscondebas mortuos per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos: ego obtuli orationem tuam Domino, et quoniam acceptus eras Domino, necesse fuit, vt tentatio probaret te. Abraam insuper eo nomine laudatur, quòd vxorem suam in sepulcro duplici sepeliebat: laudantur Isaac et Ismael, qui eundem Abraam in eo ipso sepulcro posuerunt: laudatur Ioseph, qui præclarissima pompa in terram Chanaam Iacob patrem ad sepulturam transtulit. Magnam hominum multitudinem filij viduæ funus duxisse, Euangelij litteræ loquuntur. Commemorabile est exemplum Iosephi, et Nicodemi, qui Christi Domini corpus in monumento condiderunt.

D Ioannis

Ioannis autem Baptistæ discipuli laudantur, qui corpus eius mortuum e carcere in sepulcrum intulerunt: de ijs etiam, qui protomartyrem Stephanum sepelierunt; præclare in Apostolorum actis scriptum est. Beatissimæ item Mariæ virginis corpus, quod auctore vitæ et salutis Christum Dominum peperit, a Discipulis in Gethmanem magna veneratione psalmis, canticis, incredibiliq. cereorum ardentium pompa, asportatum narrant, Iuuenalis Episcopus Hierosolymitanus, Ioannes Damascenus, Melito Sardensis, Euthymius, Glycas, et ceteri, qui rem totam litteris mandarunt. Iacobum Apostolum, quem e templi fastigio præcipitem Iudæi egerunt, honesto in tumulo cum nominis inscriptione collocatum esse, historiæ ecclesiasticæ monumentis traditum est. Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli monumentis, quæ inscriptionibus insignia, etiam tunc Romæ extabant, valde quidem vetustissimus scriptor Caius gloriabatur. Beatum Polycarpum, apostolicum virum sepelire quàm ardentem christiani homines concupierint, ex Ecclesiæ Smyrnenfis epistola facile cognosci potest. Sed res hæc omnis plena est exemplis innumeris: quorum omnis commemoratio significat, et declarat, non modo Deum semper habuisse, ut dixi, gratum acceptumq. opus id pietatis, quod sepeliendis mortuis præstatur, verum etiam humanationis et sepulturæ sanctos ritus, ex omni antiquitate cõprobari, inuitis etiam ac repugnantibus fidei catholicæ aduersarijs. Atque rursus quidem id munus officiumq. Deo quàm acceptissimum esse, vel maxime ex eo perspicuum fieri potest, quòd is, scelerum vltor, insepultos esse velit impios, facinorososq. diuinæ legis violatores. Non plangentur, inquit ille apud Hieremiam, nõ sepelientur.

Quid

Quid illa verba, plena minarum in Deuteronomio? an Dei sunt, minaciter dicentis? Sit cadauer tuum in escam cunctis volatilibus cæli, et bestijs terræ. Quam sane comminationem haudquaquam inanem extitisse, ostendunt illa terroris exempla de Achab, et Iezabel, quæ sacris Regum libris testatissima sunt. Et vero de Ioachim, qui ab optimi parentis Iosue singulari præclaraq. religione sanequam nequiter descuerat, minacissime Dominus loquitur his verbis: Non plangent eum, Eheu frater? Eheu soror? Eheu Domine? sepultura asini sepelietur, putrefactus, et proiectus extra portas Hierusalem. Quare sancta quoque Dei Ecclesia, tam multos, quos non est huius loci recensere, non solum impios, sed christianos publice facinorosos, utpote propriæ suæ necis auctores, sacrilegos, piratas, et ceteros istiusmodi scelerum suorum ante obitum vere non pœnitentes, ut est sanctio canonum, sacra sepultura prohibet. At vero contra eius extant amplissima atque ornatissima decreta, quibus piorum virorum sepultura atque humatio cum in sacris locis commendatur, tum iubetur fieri pio ritu, religiosa pompa, ac stas sollempnibusq. illis cærimonijs, quarum institutum, vsus, et morem, a Christi Domini Apostolis, eorumq. discipulis, ad hæc vsque tempora deriuatum, perpetuoq. seruatum esse, omnes optime norunt, qui diuinis litteris, vetustissimisq. scriptoribus fidem adhibent. Quo etiam factum est, ut hominum, pietatis gloria præstantium, laudes concionibus commemoratæ sint. Hinc sancti Gregorij Nazianzeni, eloquentissimi Græci doctoris, de sanctis Athanasio, et Basilio laudationes, hinc eiusdem de Casario fratre, de Gorgonia sorore: hinc aliorum multorum de plerisque alijs, ab omni virtutum lau-

de felicibus viris. Nec vero propterea cuiquam mirum etiā esse debet, si ijs, qui in Christianæ Reip. muneribus florentissimi extiterunt, magna monumenta, et sepulcra mirifice ornata, opereq. pretioso extructa sunt, clarissimis item inscriptionibus, aut epitaphijs, tamquam vitæ bene actæ, rerumq. optime gestarum luminibus, splendentia. Omnibus igitur rationibus, quas mox attuli, sepulturæ honos tam gloriosus Pio Quinto debebatur, qui et Deo in primis, cui tantopere accepta est humatio mortuorum, in omni vita placere studuit; et gloria tum sanctarum virtutum, tum Pontificalium actionum, meritorumq. tanta cumulatus est, quanta ne cogitatione quidem comprehendi, ne dum exornari potest aliqua vel expolitissima, vberrimaq. oratione. Debebatur autem eidem tanta honoris amplitudo a Pontifice, et a SIXTO QUINTO Pontifice: qui id impense, ac pie sane vsque adeo curauit, vt ad illius ipsius rei cumulum deesset plane nihil. Fuit olim Pontificum et cura dignissima, et gloria singularis, aliorum, qui præcesserant, Pontificum corpora sepelire, eorumq. sepulcra exornare. Gloriosum fuit beatæ memoriæ Eutyriano, Pontifici id officij genus præstitisse: gloriosum Marcello sanctissimo, qui Pontifex Marcellini itē Pontificis corpus sepelijt: gloriosum Calisto, qui, cæmiterio a se via Appia ampliato, non solum multorum martyrum, sed aliquot Pontificum corpora condidit: gloriosum etiam fuit Fabiano Pontifici, qui e Sardinia, Pontiani quoque Pontificis corpus, Romam transtulit, sepulturæq. honore affecit: et Anterum itidem Pontificem, in cuius ipse locum proxime successit, in cæmiterio Callisti sepeliuit. Iam nunc in hoc pij officij genere SIXTVM QVINTVM versatum videmus, et ita versa-

tum

tum, vt his temporibus in eo propria ipsius, præcipuaq. laus esse videatur. Is enim Pontificibus duobus, Nicolao Quarto, et Pio Quinto, rerum maximarum nomine celeberrimis, id pietatis munus tribuit non sine præclara significatione et sapientis, et gratissimi, atiq. animi sui. Sed res tota dilucidius explicanda est, quo non solum planior fiat, verum, vt certe est, illustrior videatur, atque insignior ad imitationis studium. Nicolao igitur Quarto sepulcrum quàm ornatissimum, et statuatim satis eximiam superioribus proximis annis erexit, nimirum quo tempore facultatum suarum, quæ angustæ erant, atque exiguæ admodum, tenuitate opus valde sumptuosum sustinere non poterat. Plus equidem illum ad operosum id monumentum, impensisq. multis implicitum, aggrediendum, ea vis pietatis, qua semper ad optima quæque ipse exarsit, commouit, quàm pecuniæ difficultas, opumq. tenuitas, qua valde impediabatur, deterrere potuit. Tanta autem fuit animi magnitudine in eum suscipiendo, tum conficiendo, vt sumptibus magnis, ac varijs, quibus dimoueri sæpenumero homines solent, numquam retardatus, celerrime et constantissime illud perfecit. Et quoniam non temere, neque casu, verum recto consilio adductus, quo in perpetuum excelluit, in eius operis deliberationem venit, illud iustissimis rationibus effecit, vsque adeo vt in omni re vndique quædam quasi effigies emineat sapientiæ suæ. Fuit Nicolaus ordinis Franciscani, homo prouinciæ Picenæ, vir magnarum virtutum ornatu præditus, ad omnemq. scientiam eruditus, Cardinalis rerum magnarum nomine maxime omnium illis temporibus illustris, et vero demum Pontifex, de Ecclesia Dei optime meritus, vt annales loquuntur.

Sapien-

Sapientissime igitur is, utpote qui non populari opinione, neque vulgi gloria res suas metitur, excogitatas habuit veras plane causas, cur ei potissimum eiusdem, cuius ipse est, et ordinis, et prouinciæ homini, iisdem studijs, Cardinali, et Pontifici præterea meritissimo tale extruere deberet monumentum, idq. ad excitandam aliorum imitationem. Qua quidem in re si tantæ rationes elucet: profecto longe splendidiore, cum recte cernuntur, videri atque existere possunt in translationis et sepulturæ Pij Quinti officio, ac munere, de quo, quemadmodum alias dixi, est cur gratulentur omnes. Gratulatus est olim Leo Primus sanctissimus Pontifex Pulcheriæ Augustæ, quòd Flauiani Patriarchæ corpus ad Ecclesiam Constantinopolitanam, cui præfuit, debito honore transtulit, ac sepeliuit. At dubium non est, quin etiam multis post sæclis, qui futuri sunt in posterum, Pontifices gratulentur SIXTI QVINTI nomini: quod ad sempiternam memoriam non leuiter fixum est, tum alijs multis rerum eximie gestarum monimentis, tum hoc etiam vno, quod tam præclarum, tamq. plenum religionis, et pietatis summo Pontifici Pio Quinto constituit. Iam vero in præsentem video Reges, Principes, summosq. viros, qui Ecclesiæ amplitudinem amant, quiq. beneficia in primis a Pio acceperunt, gratulationem et nuncijs, et litteris facere SIXTO Pontifici: cui etiam ceteri omnes, quicumque sint, siue æqui, siue iniqui, non possunt in tanta augustissimi vereq. Pontificij operis luce gratulationem non habere, etiam tacitis animi cogitationibus, quasi tacitis quibusdam vocibus. Gratias vero nunc sane cuncti et agunt, et habent ad sanctæ Mariæ basilicam maiorem: vbi tam pij monumenti extruccionem intuentur, memoriaq. translationis sollem-

sollemnis celebritatem repetunt. Sed iam summatim rem complectar, Ecclesia vniuersa præclarissimo facto lætatur, vehementerq. gaudet, cum collustrata sit transferendi corporis Pontificij, ac sepeliendi exemplo, in quo eminens apparet imago antiqui ritus religiosissimi. Iam patrum nostrorum memoria multæ extiterunt eiusmodi etiam e locis remotis translationes. Mitto veteres illas, quæ ab Apostolorum tempore erant recentes: sunt aliæ præterea multæ postea maiorum nostrorum ætate, nostraq. celebratæ, quæ si celebritate conferuntur, non parum ab hac distare videntur. Eam ob rem Pontifex religiosissimus, rituumq. vsu litterate peritissimus SIXTVS QVINTVS, vtilitatis publicæ studio flagrans, ut in sollemni pietatis officio, quod in Ecclesia Pontificibus præstari aliquando oportet, posteritati consuleret, ac prospiceret, aliquod extare voluit monumentum huiusce translationis, cuius ordinem, modum, rationemq. mox infra litteris mando, ut pro ingenij mei imbecillitate possum, diligentissime. Multis ante sæculis, Pauli Primi Pontificis corpus e basilica sancti Pauli Apostoli via Ostiensi translatum est ad Vaticanum: longe post, Eugenij Tertij ossa e Tiburi Romam ad sancti Petri basilicam, neque autem multo post, Hadriani Quarti ad urbem item Anagnia in eandem basilicam delata sunt. Et vero aliquot post ætatibus, Honorius Quartus Romæ, vbi in monte Auentino diem suum obierat, e sanctæ Sabinæ templo, in ipsam item basilicam Vaticanam translatus est. Quam magna autem pompa id omne singulis ijs Pontificibus efferendis factum sit, haud quaquam in annalibus explicite scriptum est. Pij præterea Secundi Pontificis corpus, Ancona delatum ad urbem, narratur, comitante solum Pontificia familia,

familia, vestibus lugubribus induta. Aliorum deinceps Pontificum, Leonis Decimi, Hadriani Sexti, Clementis Septimi, Pauli Quarti, Pij item Quarti translationes, quæ ad alia vrbs templa e Vaticana ipsa basilica partim nostris, partim proximis superioribus temporibus actæ sunt, si exactorum commentarijs cum hac commemorabili Pij Quinti translatione, quam religioso eximioq. ritu SIXTVS QVINTVS celebrauit, aliqua ratione comparantur: nemo est, quin videat, quàm valde illis hæc præstet. Hic porro si translationis huius causas, quas supra multas sparsim diffuseq. dixi, iterum ad mentem reuoco: est etiam in ijs vna, quæ negligenda non est, quæq. cum recte perpenditur, illustrior animaduerti fortasse potest, quàm in alijs Pontificum translationibus apparet. Translati porro sunt alij Pontifices impensis aut heredum, aut certe eorum, qui cognatione, vel affinitate proximi essent. Pauli autem Quarti Pontificis translatio e Vaticano ad templum beatæ Mariæ supra Mineruam ab Pio Quinto acta est præcipuo proprioq. eius sumptu, cum in primis singulari erga illum pietatis officio, tum quia etiam eo tempore nulli eiusdem fuissent fortasse vel heredes, vel propinqui, qui id præstarent. At ardentius quodam modo videtur gratissimi animi studium, quo Pij Quinti memoriã prosequi SIXTVS QVINTVS voluit. Habet Pius Quintus heredes locupletissimos, habet cognationis, aut affinitatis vinculo coniunctos, qui dignitatibus, honorumq. splendore ornatissimi, quiq. ei summis beneficijs deuincti, aliquem sepulturæ honorem eidem aliquo tempore tribuissent. Verum publicis priuatisq. rationibus, quæ iam non modo propositæ, sed satis explicatæ sunt, adductus SIXTVS QVINTVS, præcipuæq. erga illum charitatis

ritatis ardore incensus, ac vehementer etiam atque etiam eius meritorum memoria, et recordatione perpetua inflammatus, a nemine, vt est summa animi magnitudine, in eo pietatis munere et opere se vinci passus est. Itaque non cogitationem, non curam, non sollicitudinem, non consilium, non studium, non impensam, non rem denique vllam prætermisit, vt non modo ceteris, verum sibi ipse in ea re satisfaceret, quamdiu meditatus, præclare parauit, et egregie confecit singulari exemplo, quo sancta lætatur Ecclesia. Transtulit is igitur, vt mox ordine narabo, Pij Quinti corpus e Vaticano in montem Exquilinum, e basilica sancti Petri ad illam sanctæ Mariæ Maioris, e Sacello non illustri admodum structura in splendidissimum atque ornatissimum, omnibus ætatum sæclis prædicandum, Sixtianum ad Præsepe, e lapideo ad tempusq. extructo ad marmoreum ac perpetuum monumentum, pretioso omni opere elaboratum. Nolo hic singulis singula comparare, cum præsertim antiqui montis Exquilini nobilitatem omnes intelligant. Neque hic locus est comparationis basilicarum. Sed illud tamen affirmare licet, singulari id consilio factum esse, vt in basilicam maiorem beatissimæ Mariæ Virginis, Dei genitricis, SIXTVS QVINTVS Pontifex Pij Quinti Pontificis corpus efferri voluerit. Fuit ille egregius Dei genitricis cultor, vt SIXTVS QVINTVS itidem est maxime. Sæpenu-mero autem Pius, dum in hoc sæculo vixit, præcipua erga Dei matrem veneratione basilicam illius maiorem frequentauit: assiduusq. item extitit in illa salutationis Angelicæ recitatione, quæ ex certorum piorum calculorum corona cõstat: atque ad eam ipsam item vsque adeo attentus, vt interdum e corporis sensibus excedens, totus

E mente

mente in ea precandi ratione fixus, non intueretur hominem, transuerso cubiculo suo Pontificati ambulantiem, aut prætereuntem. In omnibus quoque rebus vel prosperis, vel aduersis perpetuum habuit perfugium ad cæleste patrocinium sanctissimæ illius Virginis, Dei matris. Omnes vero homines pij sepeliri se in Ecclesia uolunt potissimum Sancti, aut Sanctæ, cuius precibus vel in uita diuinum senserunt auxilium, vel post obitum etiam se maxime adiuuari sperant. Hæcque ipsa ratio est, quam ob rem illius corpus ad Virginis, Dei matris, basilicam SIXTVS QVINTVS transtulit. Deinde hic ipse, qui Cardinalis Nicolao Quarto Pontifici sepulcrum in eo templo extruxerat, consentaneum quoque censuit, se Pontificem Pio Pontifici longe ornatius ibidem monumentum ponere. Sed alia præterea causa est, quæ cum impulit, et illa quidem religiosissima est, planeque consentiens cum sacrosancta diuinarum litterarum, et canonum auctoritate. Nam quos sancta coniunxit charitas, sæpenumero eodem coniunxit vnus idemque sepulturæ locus. Neque est, quare multa enarrem exempla, cum vel vnum satis atque satis esse queat. Scholastica, beati Benedicti soror, in illo ipso sacello vel potius sepulcro condita est, quod ipse sibi parauerat: ut quorum mens, inquit Gregorius Magnus, vna fuit, eorum corpora sepultura non separet. Quo igitur loco sibi SIXTVS QVINTVS Pontifex monumentum faciendum statuit, in eodem alterum Pio Quinto Pontifici constituit, quem omni charitatis officio coniunctissimum semper habuit. Iam vero attendenda quoque est, basilicæ illius dignitas, amplitudo, et antiquitas: ut etiam qui ab vrbe absunt, ad sacrum illud templum translationem factam esse intelligant, quod Romæ ma-

gno

gno ornamentorum splendore in omne tempus enituit. Est ea porro basilica sane admodum antiqua, sancta, religiosa, multis plane nominibus celeberrima, et uero in perturbationum fluctibus quidam quasi portus populi Romani. Diuinitus ex miraculo niuis a Ioanne Patricio Romano ædificata est, atque consecrata a Liberio Pontifice, quam propterea Liberij basilicam olim vocauit antiquitas. Eius igitur structuram, inquit Nicolaus Pontifex Quartus, mirabiliter Deus, gloriosus in sanctis, indicauit. Eam Sixtus Tertius Pontifex amplitudine auxit, ornatu illustri cõdecorauit, sacris noui veterisque testamenti imaginibus, opere musiuo effectis, metallisque aureis collustrauit, atque ita in omnes partes restituit, ut basilicam deinceps SIXTI vulgo appellarint. Præsepium Christi Domini, ab sancto Hieronymo immortalibus laudibus celebratum, quod est ornamentum ad eiusdem basilicæ splendorem plane insigne, cum iam vsque e Bethlehem auctum, ibi reconditum sit, aliquando etiam sancta Maria ad Præsepe nuncupata est. Quæ quoque his adhuc temporibus nomen habet sanctæ Mariæ Maioris, propterea quod illa prima fuit earum, quæ Virgini Dei matri, olim erectæ dicuntur. Qua quidem re ad illius antiquitatem accessio fit plurima. Porticu ab Eugenio Tertio Pontifice, turri præclara ad campanarum usum a Gregorio Vndecimo aucta, ambonibus duobus e marmore porphyretico ab Alexandro Tertio, Menianis item duobus opere tessellato, vnde ex vno religiosa illa vetus sacra imago Virginis, Dei matris, ex altero sanctæ reliquiæ ostenduntur, laqueari autem tecto aurato ab Alexandro Sexto, cæteris vero ornamentis, quibus maxime abundat, cum ab alijs Pontificibus, præsertim a Nicolao Quarto, tum a

E 2 Cardi-

Cardinalibus, præcipue Columnijs Iacobo, ac Petro, et a Rothomagēsi item, tum a nobilissimis viris, ciuibus Romanis, potissimum a Scoto Papazonio, eiusq. liberis, præclare exulta, ita vndique splendore elucescit, vt non modo intus, sed foris, præsertim a parte interiori figuris amussæti operis ornata, præ se ferat augustissimi, pulcherrimiq. templi imaginem. Est porro vna e basilicis quinque, quæ patriarchales vocantur: vnaq. item ex illis septem insignibus Ecclesijs, quæ ex antiquissimo instituto, et more perpetuo solent indulgentiæ ac pietatis causa frequentari: vna quoque præcipua e quattuor, ad quas anno sancto ob iubileum est christianarum nationum frequentissimus concursus: vna denique, vbi post Lateranensem, et Vaticanam, solus Pontifex in maiori altari Missam celebrat: et vbi illud sollemne singulareq. est non sine rei mysterio, vt cum idem celebrans dicit, Pax Domini sit semper vobiscum, non respondeatur, Et cum spiritu tuo. Affluit autem maxime reliquijs sanctissimis: in quibus valde admodum illæ insignes sunt, vetus ea imago beatissimæ Virginis Mariæ, Præsepium, vt dixi, Christi Domini in Sacello Sixtiano, corpus sancti Matthiæ Apostoli sub altare maiori, et vero in operculo marmoreo, quod reliquiarium dicitur, caput eiusdem Apostoli, ac præterea de reliquijs sanctorum Apostolorum, Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Thomæ, Bartholomæi, et Philippi, ac reliquorum multorum sanctorum, martyrum, confessorum, et virginum, de quibus certæ in ea tabulæ extant. Florentissima est etiam stationibus, indulgentijs, alijsq. spiritualibus donis, quæ sane plurima cum in aliorum Pontificum, tum in Nicolai Quarti litteris recensentur. Ac præterea quasi splendescit multarum rerum gloria,

gloria, quas apud eam summi Pontifices commemorabili cum exemplo gesserunt. Gelasius Manichæorum codices pro eius foribus inflammari iussit: concilium Hilarius in illa coegit: Gregorius Magnus sollemnes stationes ibidem habuit: in eaq. itidem summas anniuersarias sollemnitates, natalem diem Domini, Paschaq. Resurrectionis celebrare Pontifices consueuerunt. Quod singulare institutum SIXTVS QVINTVS Pontifex sapientissime renouauit. Sed tanta illius basilicæ dignitas extitit, vt Clerus Romanus quodam modo olim prohibuisse videatur, ne Pontifex Eugenius Primus in ea sacrificaret, nisi quas a Petro Constantinopolitano acceperat, impias litteras reiecisset. Ea item semper diuinis atque innumerabilibus enituit miraculis, in quibus maxime illustra duo numerantur, vnum de Martino Pontifice a nece, quam ei Olympius Exarchus moliebatur, diuinitus in ea liberato, et de serpente illo venenato, qui totam pene urbem vel ipso aspectu inficiebat, mirabiliter fugato Leonis Quarti precibus ibidem effusis, tanta semper fuit eiusdem basilicæ sanctitas. Quo factum est, vt in summo Reipub. Christianæ discrimine Pontifices omni tempore eo confugerint, vbi maxima cleri populiq. frequentia diuinam opem implorarent. Tantum autem ei ipsi basilicæ Ioannes Primus Pontifex tribuit, vt quæ Iustinus Imperator augustissima munera ad vrbis Ecclesias miserat, cum ea primum beati Petri, deinde sancti Pauli basilicæ dederit, hanc tertiam esse voluerit, cui illa distribueret. Et vero Constantinus Imperator Tertius, Romam, Vitaliano Pontifice, profectus, posteaquam sancti Petri Ecclesiæ venerationem, cultumq. ac dona attulit, pari pietate, et munificentia, die sabbato sanctam Mariam Maiorem adiit.

adij. Iure igitur, et sapienter ad hanc ipsam basilicam, tantarum rerum nomine maxime illustrem, sanctitate florentissimam, religiosissimeq. venerandam, atque colendam, SIXTVS QVINTVS Pontifex corpus transtulit Pij Quinti, cui tantum sepulturæ honorem tribuere voluit. Qua in re vt singulare pietatis studium, quo semper illum mirabiliter prosequutus est, splendidius omni ex parte eluceret, facelli etiam, quo transferendum erat, rationem habuit. Sunt in ea ipsa basilica, vt aliquid etiam amplius ad illius laudem adijciam, præter cetera ornamenta, quibus eam abundare ostēdi, non pauca facella, et illa quidem tum vetustate, vt quod olim Symmachus Pontifex beatorum martyrum Cosmæ et Damiani nomine extruxerat, tum structura etiam ornatuq. alia admodum nobilia, quæ cum iam aspectu omnium cernantur, nihil in præsentī commemorare attinet. Verum ea, quæcumque vel ædificandi ratione, vel alio nomine illustria sint, nihil tamen ad hoc, quo SIXTVS QVINTVS Pontifex ad sepulturam, Pium tam sollemniter efferri voluit. Est id sane facellum Sixtianum, quod ita eximio est opere ab illo conditum, vt basilica ipsa maior exornata videatur eo vno tantum ædificio: cuius iam forma, et species multorum, qui ingenio valent, industriam excitauit ad luculentas illius laudationes. Illius igitur effigiem aliquo modo adumbrabo, quam deinceps typis incisam, planeq. expressam, Dominicus Fontana, Pontificis architectus, in lucem dabit. Est facellum Sixtianum, si basilicæ ingressum ab anteriori parte spectes, a dextero illius latere situm: longitudine palmis centum et quindecim, latitudine centum et quinque patens, altitudine centum et octuaginta eminens. Forma exhibet crucis nõ oblongæ,

sed qua-

sed quadratæ figuræ. Extrinsecus ab ima parte constat opere Corinthio, et ornatu marmoreo tiburtino, coronarioq. etiam opere eiusdem marmoris: super quo extat vndique præclara balustria extructio. Inde testudo, in altum ducta, quæ intrinsecus rotūda est, extrinsecus octangula, tecto plumbeo operta, præ se fert aspicientium oculis pulcherrimam hemisphærij lunulati speciem. Ab interiori autem parte, quæ admirationem excitat sui, omni pretiosorum ac nobilissimorum marmorum, candido, atro, coracino, viridi, flauo, prasino, alioq. colore varie splendentium, genere extructum, præclaris etiam incrustationibus, atque egregio opere tectorio marmorato, vndique decore micans, prospectu est tum admirando, tum iucundissimo. Picturis vero collucet nitidis, varieq. collustratis, ordine composito distinctis: in quibus partim angelicarum hierarchiarum effigies apparēt, partim imagines extant patriarcharum, ac prophetarum diuinitus religionis nostræ mysteria præsignificantium. Et vero pictura in primis eminet, in qua pia cum animi delectatione, oculis cernitur, illa euangelij verbis explicata Christi Domini Redemptoris genealogia. Habet præterea hemyciclia sex, loco suo recte disposita: in quorum primo Apostolorum Principis Petri, in altero beati Pauli Apostoli, in tertio sancti Dominici cōfessoris, in quarto inuicti Petri martyris, in quinto seraphici Francisci, in sexto sancti Antonij Patauini, effigies marmoreæ collocatæ sunt. In eius medio extat altare Pontificale longum palmos septem et decem, latum quindecim: sub hoc, nempe in loco, quam confessionem libri rituales vocant, altare minus est, quo facellum præsepis integrum est asportatum. A dextera illius parte altare est sancti Hieronymi,

ronymi , a sinistra altare sanctæ Luciae , cuius die natali SIXTVS QVINTVS Pontifex natus est: eò e basilica sancti Pauli via Ostiensi sacrae aliquot beatorum Innocentium martyrum reliquie translatae sunt. Ad cetera quoque eiusdem sacelli ornamenta fit accessio pavimenti marmorei , quod scalpturato opere præbet decus et dignitatem. Huc igitur, nimirum ad sacellum Sixtianum , tam multis diuinisq. ornamenti illustre, opus augustissimum, vereq. Pontificium, Pius Quintus transfertur. Neque solum tam eximij vereq. Pontificij sacelli extructione præclara contentus Pontifex SIXTVS, alia multa ad perpetuum illius cultum adiecit. Censum mille et quingentorum nummum aureorum constituit: sacerdotes in eo sex esse voluit, vnum, qui alijs præsit, Præpositi nomine: alterum, qui sacristiæ curâ gerat, reliquos quattuor, qui cappellanorum munus obeant: Clericos autem quattuor, qui ministrent singulis ferijs Missas tres, et vero quattuor celebrari decreuit, dominicis, festisq. diebus. Anniuersaria ter quotannis agi iussit, quorum vnum Pio Quinto in primis, alterum sibi, cum ex hac vita excesserit, alterum consanguineis suis certo die constituit. Atqui vt ad sollempnis translationis cumulum nihil aliqua ex parte defuisse videatur, dicendum est etiam de sepulcro, et monumento, quod Pio Pontifici, SIXTVS Pontifex gratissimo animo, atque eximio opere parauerat. In sacello Sixtiano duo sunt monumenta, vnum a dextero latere, alterum a sinistro, et illa quidem amplissima, atque ornatissima, vt inde etiam omnes intelligant tanti sacelli decus, et dignitatem præcellentem. Quod in sinistro est, id sibi posuit SIXTVS Pontifex, vtpote qui in seraphicæ disciplinæ beati Francisci curriculum diu beneq. versatus, didicit hominis christiani

stiani, in primisq. de sua salute solliciti, proprium esse, quotidie vel potius in dies singulos, singulaq. momenta mortem meditari. Sed de eo nunc nõ est quidquam aliud dicendi locus, nisi hoc vnum, vt ex Pontificio exemplo cuncti fructum capiant sapientiæ christianæ. Est igitur spectandum monumentum, Pio Pontifici erectum, in quo illustris cernitur, tamq. varia ac multiplex christiano more recte philosophandi ratio. Sed iam explicabo eius opus, atque ornatum, vt inde etiam perspici liceat SIXTI QVINTI animi tum gratissimi, tum alti excelliq. magnitudinem. Est ergo Pij Quinti monumentum opere præclaro et sumptuoso, quod certe tanti Pontificis virtutibus immortalibus, ac summis promeritis consentaneum plane esse, nemo est ita a pietatis officio, publicisq. rationibus auersus, quin præclare intelligat. E marmore est candenti onychino, africo, omnisq. alterius generis nobilissimo. Columnis quattuor constat, partim a dextera, partim a sinistra parte collocatis opere composito. In medio autem monumento cernitur eximia Pij Quinti Pontificis effigies, splendidissimo marmoris albi, e quo confecta est, candore relucens, vestitu, tiaraq. Pontificali ornata, ac de more Pontificio sedens, habet luculenta infra pedes epitaphia duo, vnum his verbis:

P I O V. P O N T. M A X.

EX ORD. PRÆDICATORVM

S I X T V S V. P O N T. M A X.

EX ORD. MINORVM

GRATI ANIMI MONVMENTVM

P O S V I T.

F

Alterum

Alterum vero, quod illi mox subiungitur, in hanc verborum formulam:

PIVS V. GENTE GISLERIA, BOSCHI IN LIGVRIA NATVS;
THEOLOGVS EXIMIVS: A PAVLO III. IN INSVBRIA HÆRETICÆ PRAVITATIS INQVISITOR, A IVLIO III. SANCTÆ INQVIVISIONIS OFFICII COMMISSARIVS GENERALIS, A PAVLO IIII. EPISCOPVS SVTRINVS, DEINDE S. R. E. TT. S. MARIÆ SVPER MINERVAM PRESBYTER CARD. ET A PIO IIII. ECCLESIAE MONTIS REGALIS, IN SVBALPINIS ADMINISTRATOR FACTVS: EO VITA FVNCTO, SVMMO CARDINALIVM CONSENSV PONT. MAX. CREATVR, QVI VETERES SANCTOS PONTIFICES ÆMVLATVS, CATHOLICAM FIDEM PROPAGAVIT, ECCLESIASTICAM DISCIPLINAM RESTITVIT, TANDEM GESTARVM RERVVM GLORIA CLARVS, DVM MAIORA MOLITVR, TOTIVS CHRISTIANÆ REIP. DAMNO NOBIS ERIPITVR.
KAL. MAII M. D. LXXII. PONT. ANNO VII.

ÆTATIS SVÆ LXVIII.

Alijs etiam imaginibus vndique collustratur, quæ non historię instar narrant, sed ob oculos ponunt præcipua quædam acta. Est ea in primis, qua apparatus pompaq. exprimitur, cū Pontifex creatus sollemni ritu coronatur. A dextera eius cernitur actio figuris expressa, cū Marcum Antonium Columnam, classis Pontificiæ præfectum pronunciat, et constituit. A sinistra extat, etiã ad posteritatem prodita, altera actio, qua Sfortiam, sanctæ Floræ Comitē, Pontificij auxiliarij exercitus ducē, contra perduelles Caroli Noni, Galliæ Regis, Ecclesięq. hostes decernit. Pugnae naualis designatio, et classis Christianæ contra Turcas bene ad Echinadas pugnantis descriptio, expressa itē figuris, alio loco apparet, breuiq. at illustri narratur elogio hoc:

SELINVM

SELINVM, TVRCARVM TYRANNVM, MVLTIS INSOLENTEM VICTORIIS, INGENTI PARATA CLASSE, CYPROQ. EXPVGNATA, CHRISTIANIS EXTREMA MINITANTEM, PIVS V. FOEDERE CVM PHILIPPO II. HISPANIARVM REGE, AC REP. VEN. INITO, M. ANTONIVM COLUMNAM, PONTIFICIÆ CLASSI PRÆFICIENS, AD ECHINADAS, HOSTIBVS XXX. MILL. CÆSIS, X. MILL. IN POTESTATEM REDACTIS, TRIREMIBVS, CLXXX. CAPTIS, XC. DEMERSIS, XV. MILL. CHRISTIANIS A SERVITVTE LIBERATIS, PRECIBVS, ET ARMIS DEVICIT.

Ex altera parte imago cernitur prælij, et victoriæ, quæ, eo ipso duce Sfortia, in Gallia de hæreticis reportata est: habetq. item incisam inscriptionem hanc:

GALLIAM, CAROLO IX. REGE, PERDVELLIVM, HÆRETICORVMQ. NEFARIIS ARMIS VEXATAM, VT DE REGNO, DEQ. RELIGIONE ACTVM VIDERETVR, PIVS QVINTVS, SFORTIÆ COMITIS SANCTÆ FLORÆ DVCTV, MISSIS EQVITVM, PEDITVMQ. AVXILIARIBVS COPIIS, PERICVLO EXEMIT. HOSTIBVSQ. DELETIS, VICTORIAM REPORTAVIT, REGI REGNVM CVM RELIGIONE RESTITVIT. SIGNA DE HOSTIBVS CAPTA, AD LATERANENSEM BASILICAM SVSPENDIT.

Amplissimum igitur, maximum, maximeq. multis nominibus illustre est hoc monumentum, plenissimum vndique pietatis, refertissimum summis virtutibus, cumulatissimum omni gloria. Hoc loco multa, vel plurima potius, omnium mentibus cogitationibusq. proposita esse debent, quæ hoc commentario, apte locis suis, explicatq. scripta sunt. Sed est etiam, cur hic omnes, cuiuscumque ordinis lociq. sunt, homines cum Pij Quinti ornamenta, quasiq. trophæa maximarum rerum, quarum co-

F 2

pijs

pijs ille circumfluxit, spectant, suspiciunt, atque adeo ad cogitationem reuocant; simul etiam mirentur secumque mente reputent hoc ipsum SIXTI QVINTI Pontificis opus præstantissimum. Est hoc certissimum argumentum gratissimi summeque pijs animi sui, cum illius meritorum memorem is tam egregie se ostendat, ac præbeat. Est hoc testatissimum indicium piæ liberalitatis, summæ virtutis, summæque sapientiæ, cuius studio SIXTVS QVINTVS mirabiliter incensus, nihil non agit, ut et fortiter, et sapientissime rationibus publicis consulat. Quid enim est opus hoc, quod erexit, nisi quædam arx sapientiæ, firmissimum præsidium defensionis fidei catholicæ, ornamentum luculentissimum sanctorum rituum ecclesiæ, quasi proprium illius insigne? Gentes aliæ immanitate barbaræ, olim Persæ, Indi, Scythæ, Magi, Hyrcani, Massagetæ, Tibareni, Colchi, et alij id generis monstra, mortuorum sepulturam, sepulcrum, omneque monumentum abhorruerunt, cum alij cadauera deuorarent, alij feris, alij canibus obiectarent, alij immanius, atque scelestius agerent. Et vero si Græci, aut Romani ethnici, qui nondum fidei lumen aspexerunt, sapientiores fortasse, aut humaniores visi sunt, qui mortuis columnas, obeliscos, mausolæa, trophæaque erexerunt: nihil tamen spectarunt, nisi gloriam caducam, fluxam, vanam, inanem, pestiferam, mundanam, ac popularem, quæ nihil est, quod tam pugnet cum Christi optimi maximi disciplina, religione, sanctitate. Mortuorum igitur cura, ac sepultura, quæ Deo gratissima est, ut ostendi, maxime in Ecclesia insignis est, maximeque propria: quoniam spiritus sancti lumine illa quidem ducta, spectat, credit, sperat resurrectionem mortuorum, vitam æternam, et illam sempiternæ cælestis gloriæ mercedem,

mercedem, quam Deus repromisit diligentibus se. At hæretici, infensissimi hostes mortuorum curæ, sepulturæ, religionumque sepeliendi rituum, qui ex spiritus sancti doctrina emanarunt, quid non agunt, ut impietatis suæ telis, armisque venenatis rem Deo acceptissimam, Ecclesiæ catholicæ propriam, plenam pietatis, pijs hominibus debitam, animabus salutarem, Christi Domini, Apostolorum, apostolicorumque virorum exemplis communitam, diuinarum litterarum præsidijs corroboratam, omnium sanctorum firmatam consensu, perpetuoque stabilitam oppugnent? Est id ergo monumentum, quasi quoddam publicum documentum præcellentis diuinæque sapientiæ SIXTI QVINTI: qui eo pietatis opere sapientissime quasi arcem constituit tum ad religionis catholicæ propugnationem, tum ad improborum impietatis depulsionem. Nam illud ipsum, quod in omni laude eminent, monumentum præter cetera hoc in omne tempus monet, docet, loquitur, denunciat, ac prædicat, mortuorum curam esse habendam, sepulturæ honore esse eosdem afficiendos, summos viros præclaro monumento, sepulcroque cohonestandos. Id præter cetera, quæ dixi, indicant etiam, ostendunt, demonstrant sanctissimi ritus. Vidimus proxime magna processionis pompa, psalmorum concentu, antiphonis, tam multis luminibus accensis, frequentissima cleri populique celebritate, Pij Quinti corpus effertur: Id omne, quod maximum fuit spectaculum pietatis, præ se fert magna mysteria. Itaque est, cur Chrysostrum hoc loco ea enucleate perscribentem, vel potius cuncta patefacientem, in medium afferam, ut perspicua sit ratio sanctarum cærimoniarum. Dic mihi, inquit ille, quid sibi volunt ista lumina accensa? nonne sicut athletas mor-
tuos

tuos producimus? quid etiam hymni? nonne ut Deum glorificemus, et ei gratias agamus, quoniam iam coronauit discedentem, quoniam a laboribus liberauit, de seruitute ducens? nonne propter hoc psalmi, et hymni? nonne propter hoc psalmodia? omnia ista gaudentium sunt. Quid psallis in eo tempore? Reuertere anima mea in requiem tuam, et reliqua. Nemo est, qui nesciat, quam inuictus Dei athleta, Pius Quintus extiterit. Perpetuo pro gloria Dei, pro religionis catholice defensione, pro Ecclesia pugnavit: contra Satanam, Satanæque ministros, mundum, carnem, dimicationes suscepit, et confecit: in omni vita decertavit cum vitijs, in virtutum maximarum curriculo se exercuit: oravit, ieiunavit, vigilavit, in omni opere bono laboravit, sudavit, maximasque sustinuit difficultates, quas, tamquam fortissimus Christi heros, diuina virtute exantlauit, vicit, superavit. Itaque cum sancte, integre, atque ita pie Pius Quintus vixerit, ut societate sanctorum dignus videatur: in ea spe christiana esse possumus, quam tot lumina accensa, tam mirifica psalmodiarum harmonia, tamque sollemne ac sanctum pietatis officium significare videntur, ut is æterna luce, sempiternaque gloria perfruatur. Sed quæ hoc quidem commentario a me enarrata sunt, cum etiam pie versibus sint præclaris celebrata, et a rei, quæ narratur, rationibus non aliena, in lucem emittuntur, ut res tota plane, omni ex parte colluceat in perpetuum.

D E E A D E M T R A N S L A T I O N E

C A R M I N A D I V E R S O R V M .

F. A N G E L I C A M E R T I S A R O C C H A

Augustiniani Doct. Theol.



*H*IC, ubi iam CHRISTVS voluit de Virgine nasci,

Mandavit SIXTVS condier ossa. PII,

Vt fateare pie, vicinum hunc esse TONANTI,

Præsepi veluti proximus est Tumulus.

E I V S D E M

D E S A N C T I S S . C H R I S T I P R Æ S E P I O ,

A SIXTO V. Pont. Max. in splendidissimum
Sacellum translato.



*A*VGUSTVM in Terris cur dat Præsepe TONANTI

SIXTVS? ut in Cælo nunc sibi claustra
paret.

A L I V D .

*A*STRA, Polumque refert SIXTVS, cunabula CHRISTI
Dum nouat, & ponit splendidiore loco.

A L I V D .

*A*SIXTO hic quicumque vides Præsepe repostum,
Phidiacam dicas, Parrhasiamque manum.

A L I V D

*CVR SIXTVS Prasēpe nouat mira arte vetustum,
Quo nitidas stellas equiparatq. Polum?
Namque Opifex rerum hic fuit, hic Moderator Olympi,
Hic Spes, hic Vita, hic unica nostra Salus.*

IO. FRANCISCI BORDINI I. C.

& Presbyteri Romani.

N ASCENTIS Prasēpe DEI Pastoribus olim
Ostenſum primo, Regibus inde fuit.
Pastorem, Regemq. DEVMQ. hominemq. fa-
tentur

Pastores, Reges, carmine, muneribus:

*Nunc PIVS en Pastor, Rexq. illam fertur ad aram,
Excubet ut Pastor, munera Rexq. ferat.*

*Pastoris, Regisq. insigni hoc sacra sepulchro,
Pastor, Rex SIXTVS condidit ossa P II.*

*Seq. tuum ante antrum, Pastor Rexq. optime CHRISTE,
Pastor, Rex SIXTVS condier ipse cupit.*

*Sic tua Pastores, Reges cunabula circum
Adstabant ambo, hinc SIXTVS, et inde PIVS.*



ILLV-

CAMILLI CAIETANI ROMANI.



*V M victis populis caligine mersa profunda,
Iura, Deosq. tuos impia Roma dares:
Paupere sub tecto Deus infans nocte silenti
Clarus in obscuro nascitur oppidulo.*

Nunc quia suspiciens auras, iam libera calum

Hausisti, et melior numina vera colis:

Iure casas humiles generosa puerpera liquit,

Inseditq. tuis VIRGO beata iugis.

Pro paleis auro, pro ligno marmore gaudet,

Pro vili hospitio templa superba petit.

At non pastores puer a prasēpibus arcet,

Officio vigiles, sollicitaq. prece.

Hinc PIVS et titulis, et munere clarus amici,

E Pario spirat marmore latitiam.

Parte alia SIXTVS postquam felicia linquet

Sacula, seruabit sedulus excubias.

Nunc iuuat ingentes pulchra ad prasēpia pompas

Ducere, et aeterno soluere vota Patri:

Urbis qui tenebras, patefacta luce, resoluit,

Sanguine lustratos restituitq. locos:

Qui iubet ut rerum moderetur seruus habenas

Pauper, et ad superos detq. negetq. viam.

Hac reputat SIXTVS dum fletibus irrigat aras,

Et matri, et puero dona opulenta sacrat.

G Fle-

Eleçtitur humanis precibus Genitricis amore IIII
Paruulus , inq. senis profilit ecce sinum
Hinc vigor , et duris fiducia maxima rebus
SIXTE tibi , et chari prouida cura gregis .
Anxius ardentis persentis corde fauillas ,
Et libras vires , armaq. iusta paras .
Seu miseros tentas reuocare ad ouile Britannos ,
Siue Arabum molli subdere colla iugo .
Annue sancte Puer votis : stat certa voluntas
Cuncta pati , et nullo est gloria pulsa metu :
Adspice nunc quales cumulet tibi SIXTVS honores ,
Quæ domito Solymis hoste trophæa dabit ?

EPIGRAMMATA

G VILIELMI BLANCI I VNIORIS
 SIXTI V. CVBICVLARII INTIMI.

I.



S SA PII condis celebri dum , SIXTE , se-
pulcro ,
In lucem pietas prodit ut inde tua ?
Mortuus en PIVS est , tumulo quem , SIXTE , recondis ?
Sed nullo hac pietas est moritura die .

II.

Magnanimus Princeps Obeliscum transtulit olim ,
Qui fixo tenuit Caesaris ossa globo .
Pontificis nunc ossa PII sanctissima transfert
Magnificum in tumulum , magnus uterque labor .
Sustu-

Sustulit ille ingens Obeliscus Caesaris ossa ,
Ossa PII terras sustinere graues .
Ergo Obelo maior PIVS est , SIXTIQ. potentis
Posterior laus est laude priore prior .
Qui reliquos vicit , vicit se denique SIXTVS ,
Victus et ipse fuit , victor et ipse fuit .

III.

HIC olim iacuit nascens de Virgine CHRISTVS ,
Nunc PIVS hic etiam mortuus ecce iacet .
Hæ cuna , hic tumulus : tumulo cunabula quadrant ,
Nam moriens , supero natus in Orbe PIVS .

IV.

NON solum immenso cumulaisti munere viuos ,
Mortuus afficitur munere , SIXTE , tuo .
Tam grato à Domino quid non speremus abundè ,
Si tanto exstinctos munere prosequitur ?

V.

QVÆ tibi , SIXTE , PIVS dederat , das munera seruis ,
Reddis et auctori munera capta suo .
Das , quæ non curas reddi , cum scenore reddis ,
Gratus et in seruos , gratus et in dominum .

VI.

SIXTVS in Exquilijs dum circumstante Senatu
Translato soluit debita iusta PIO ,

*Et sacros feretro adspersit de more liquores,
 En etiam adspersit fletibus ora pijs?
 Porrige, Musa, mihi phialam, dum colligo seruus,
 Quæ Domini ex oculis mollibus unda fluit.
 Si cecini nuper, quas fornice duxit in Urbem,
 Quas oculis undas ducit, et ipse canam.*

VII.

*Quod facis ipse alijs, nunquam tibi fecerit alter,
 Si fieri possit, ne tibi fiat idem.
 Sed quoniam id cunctis faciendum est, Roma precatur,
 Seruus ut fiant, quæ facienda tibi.*

IN MARMOREAM PII V. STATVAM
 sepulcro impositam.

VIII.

*Sustulerat natura PIVM: pia Roma dolebat:
 Sed Romæ mira redditur arte PIVS.
 Tu, pia Roma, PII spirantes adspice vultus,
 Adspice, quàm similis sit PIVS iste PIO?
 Unica vox desit. Velles audire loquentem?
 Adspice, composito gestit ut ore loqui?
 Verùm SIXTIACI attonitus splendore sacelli
 Obriget in marmor, mutus et ora premit.*



AN-

*N iterum Quinti cineres, et sancta sub auras
 Osa PII celebrem tota properantis ab urbe
 Concursum populi cernas. non lumina possunt,
 Non animi expleri tanta ad spectacula pompa
 Ipse pater flauo assurgens Tyberinus ab amne
 Innumeræq. faces, et funeris agmina longi
 Miratur, cursumq. inhibet celerantibus undis.
 Plurimus ex omni cœtu de more sacerdos
 Ingreditur, funditq. sacras e pectore voces.
 Ingreditur procerum series numerosa piorum,
 Celsa quibus viridi umbratur coma tecta galero.
 Ordine sublimis medio venerabilis urna
 Fertur odorata loculo composita cupressi,
 Aureus insigni quem tegmine velat amictus.
 Iamq. iugis primum incedit sublimibus agmen,
 Iam summas tenet Exquiliæ, adisq. decoræ
 Liminibus sacri cineres, tumuloq. propinquant.
 Felices nimium cineres, vos optima longo
 Tempore mens rerum magnos animavit in usus,
 Et modo ab ignota sublatos sede sepulcri
 Promeritis æquum vestris habitare Sacellum
 Rara iubet pietas, tanto cedebat honori
 Barbara quod raptò bustum regina marito
 Exstruxit: totum decedant clara per orbem*

decedat

Ni-

*Niliaci monumenta soli. procul alta corusco
 Vertice formosi rutilat noua machina templi,
 Artificum, quam docta manus, quam bractea fului
 Multa micans auri, pretiosaq. saxa perornant.
 Sed non artificum studio praestante, nec auri
 Eximia tantum specie, lapidumq. nitore
 Nobilium se tollit opus mirabile, quantum
 Magnanimi exsurgit titulis, et nomine SIXTI:
 Hic vobis tumuli insignes, hic fulget imago
 Spirantem niueo referens in marmore vultum.
 Hic votis (equidem spero) damnabitur olim
 Vos quoque, et innumeris decorabitur urna tabellis.
 Nunc hilares in tecta noui succedite templi,
 Optatamq. diu felici in sede quietem
 Carpite, dum volucris circumferet aurea cursu
 Astra, Polus, durasq. colent animalia terras,
 Post ubi sopitos tellure exciuerit artus
 Summa dies, rapidoq. solum flagrauerit igne,
 Antiqua rursus effigie, pulchraq. iuuenta
 Ornatos feret alta super vos sidera felix
 Spiritus, et vera donabit munere vita.*

SILVII ANTONIANI.



*ACRA P^{IO} velaret adhuc cum Purpura
 crines,
 Ipse sibi exiguum constituit Tumulum.*

Mox

*Mox celso Petri in folio, pietatis amore,
 Nostra ait ad patrios ossa referte lares:
 At SIXTVS Patri monumentum insigne locauit,
 Quà templi Augusti nobile surgit opus.
 Ossa PII hic, dixit, CHRISTI ad Praesepe quiescant,
 Cui calum Patria est, Orbis erit Tumulus.*

HIERONYMI BADESII ROMANI.



*ALVETE o cineres Pontificis PII,
 Saluete: exiguo non decet amplius
 Vos claudi tumulo, qui decus abdidit
 Vestrum iam nimium diu.*

Vos ferri ad celebres Exquilias iubet

*SIXTVS, mirifico funeris ordine,
 Hic vos nobilior suscipiet locus,
 Quo nil magnificentius.*

*Hic marmor niuibus candidius nitet,
 Spirantem referens effigiem PII,
 Hic gemma maculis multicoloribus
 Astrorum superant patrem.*

Hic stant de parijs marmoribus Duces:

*Alter sacrilego milite Galliam
 Oppressam, rediens victor ab hostibus,
 Regi restituit suo.*

Cl-

Claravit trepidas alter Echinadas :

Dum classem tumido mersit in equore ,

Et monstrum Italicis excidium ferens

Longe reppulit Urbibus .

Hic spectare licet praelia in ultimis

Decertata locis : hic equites ruunt ,

Hac cedens peditum procubuit Cohors ,

Hac manat calidus cruor .

At parte ex alia nant sine remige

Quassata igniferis undique ab ictibus

Puppis : iam grauidum se fluitantibus

Horret corporibus mare .

Saluete ò cineres , non iterum , aut quater :

Sed clarum quoties Sol reuehit iubar

Surgens Oceano , dum feret ultimus

Terris exitium dies :

Tunc vester superis , qui modo mentibus

Immistus merito perfruitur Deo ,

Vos claros radijs spiritus induet

Numquam dissociabilis .

Quàm SIXTI meritis magna rependere

Debes Roma ? tuo qui gremio abstrahi

Patris reliquias non tulit illius

Qui te iam tibi reddidit ?



VI DEVS humani generis commisit habenas

SIXTVS in exquilijs posuit de marmore templū ,

Ad nostri Præsepe DEI , de more quot annis

Sacra Pater Romanus ubi natalia libans

Pro se , pro populo , pro maiestate Latina

Exoret CHRISTVM semper de Virgine natum .

Huc etiam veneranda PII pius intulit ossa

SIXTVS in obscuro tantum latuisse sepulcro

Pontificem indignans , tumuloq. adiecit honores ,

Et lapide ex Pario statuam , titulumq. locauit .

Conspicitur , legiturq. PIVS sub fornice templi ,

Qui summo exemit trepidos discrimine Gallos ,

Funera qui Hesperia minitantem mersit in undis

Ionijs classem mundi Seruator Eoam .



TRANSLATIONIS



S. D. N. SIXTI QVINTI Pont. auctori-
tate, et iussu, anno M. D. XXCVIII. die
VIII. Ianuarij, feria VI. hora prima noctis,
in basilica Vaticana sancti PETRI, sepul-
crum lateritium PII Papæ QVINTI beatæ
memoriæ, prope sancti Andreæ aram ad tem-
pus extructum, annis post illius obitum quindecim et amplius,
dirutum, apertumq. est, curante in primis R. D. Gulielmo
Sangallegto, vtriusque Pontificis Cubiculario intimo, cui po-
tissimum eius Sanctitas illam curam demandavit.

Apertioni, demolitioniq. sepulcri præsentis, singulari pie-
tatis significatione gratissimiq. animi officio aderant illustri-
fimi S. R. E. Cardinales nouem, Alexandrinus, Pij fororis fi-
lius, Senonensis, Sanctæ Seuerinæ, Rusticucius, & Caraffa, hi
quinque ab ipso PIO: reliqui quattuor, a S. D. N. SIXTO
QVINTO in eum ordinem cooptati, Pinellus, Asculanensis,
Gallus, et Montaltus, eiusdem S. D. N. fororis ex filia nepos.
Alij præterea complures olim ipsius pontificis defuncti fami-
liares, quibus ille benigne fecerat.

Dum demolitio fiebat, basilicæ vaticanæ Beneficiati, et cle-
rici psalmos pro mortuis recitabāt cum sua in fine vniuscuius-
que psalmi antiphona, *Requiem æternam*, et alijs in officio mor-
tuorum statis antiphonis.

E sepulcro corpus, quod intus in capsâ lignea reconditum
erat, vt accuratissime fieri potuit, susceptum in capsam plum-
beam, recens paratam serico velo rubro supposito honorifice
includitur his verbis: *Corpus Pij Papæ Quinti*: In capsæ autem
operculo erat incisa hæc inscriptio.

HIC RECONDITVM EST
CORPVS BEATÆ MEM. PII PAPÆ V.
IUSSV SIXTI V. PONT. MAX.
CVM ILLVD GRATI ANIMI
ERGO, E BASILICA S. PETRI
AD HANC BASILICAM S. MARIAE
AD PRAESEPE SOLLEMNITER
TRANSFERRI, ET IN SVO HOC
SACELLO REPONI CVRAVIT
V. IDVS IANVARII. ANNO
A NATIVITATE DOMINI
CIO. IO. LXXXVIII.
AB EIVS AVTEM OBDORMITIONE
QVAE FVIT KAL. MAII
CIO. IO. LXXII. ANNO XV.
MENSE VII. DIE XXIX.

Tum in promptu fuit capsâ altera e cupressu, instar sepul-
cri arcuati, affabre, pulchreq. opere artificioso facta: in quam
illata est illa ipsa plumbea, ferreis clavis firmiter clausa.

Ea autem capsâ Cupressæa, pallio amplissimo attalici ope-
ris, auro intexti, quod recens S. D. N. SIXTVS QVINTVS
impense curauerat, vndique longe lateq. obtecta, lacinijs e fe-
rico gauſapino nigro, seu villuto, vndique dependentibus, au-
riphrigiatisq. eiusdem pontificis PII insignibus ad singulos
eius angulos appositis, apte accommodata est in feretro: quod
mox a plerisque canonicis, qui aderant, & clericis, superpel-
licea indutis, ad mediam basilicam delatum, loco editiori qua-
si in suggesto quodam collocatur: vbi tota nocte permansit fu-
nibus accensis, certisq. etiã custodibus adhibitis.

Aderant præterea Dominicani ordinis, cuius olim PIVS
fuerat, fratres, aliq. religiosi viri, qui vigilias per vicissitu-
dines agebant, nocturna q. stata pro mortuis recitabant. Aper-
tionis autem sepulcri, & recognitionis corporis inde extracti,
omnisq. eiusmodi actionis tabulas publicas magistri cærimo-
niarum, eo nomine vocati, & rogati, confecerunt.

Postero autem die, nempe quinto Idus Ianuarij, qui dies
sabbatum fuit, hora circiter decima octaua Clerus vrbs tam

fæcularium, quàm regularium fere vniuersus, & pia aliquot delecta laicorum collegia, quibus pridie eius diei ob translationis sollemnitatem iam processio sollemnis indicta erat, in atrio & porticu eiusdem basilicæ sancti P E T R I, vnde corpus efferendum erat, præsto tantæ celebritati fuerunt.

Et quò frequētior populus adesset, ac sollemnitas, quæ agenda erat, significaretur, atque omnium pietas excitaretur, eò die mane, quoad corpus inde elatum est, signum campanarum, vt cum sollemniter pro mortuis fit, maxime sollemne datum est.

Quæ campanarum significatio sollemniter etiam facta est in basilica S. M A R I A E Maioris, cum corpus e basilica S. P E T R I efferri coeptum est.

Eo ipso die hora demum decima nona, puerorum orphanorum familia, confratrum pia collegia, et quattuor Mendicantium, ac Seruitarum item, et Minimorum præterea, aliorumq. ordinum Regulares frequentissimi, suo quique loco, atque ordine procedere inceperunt, prælata vna tantum cruce basilicæ S. M A R I A E Maioris, ad quam corpus efferebatur.

Subsequebantur proxime omnes vrbis parochi, regionatim distincti: tum omnium item collegiatarum ecclesiarum, ac mox patriarchalium basilicarum Canonici, Beneficiati, & clerici. Qui omnes pio concentu sacros versus, antiphonas, et psalmos decantabant.

Funalium autem collucentium, ardentiumq. copiâ magna feretrum anteibat. Quæ funalia partim ipsi pueri orphani, partim alij, qui in hospitali domo sancti Spiritus nutriuntur, alijq. item aliunde euocati.

Sed is ferendis funalibus accensis ordo singularis fuit, vt collegij societatisve sanctissimi Crucifixi confratres quinquaginta, nigro vestitu induti, hinc inde a feretro toridem funalibus ardentibus, a basilica sancti Petri, incederent vsque ad templum sancti Marcelli: inde in eorum locum, nouis luminibus accensis, succederent alij eodem numero e confratribus societatis Mortis, vsque ad basilicam S. M A R I A E Maioris, vbi pari etiam numero funalia accenderentur, cum corpus illatum esset. Id quod factum est non sine rei sanctioris significatione. Est enim numerus quinquagenarius plenus mysterij, vt psal-

mus quinquagesimus docet: neque autem a mysterio vacat, centenarius & quinquagenarius, numerus, ex quo illa per vicissitudines distincta summa omnis constat, vt ex pari psalmodum ratione cognosci facile potest.

Verum funalia omnia, quæ accensa collucebant, ex suppuratione numerata sunt tercenta, & amplius, præter alias faces innumeras, quæ manibus gestabantur. Quod diuine factum est non sine significatione, in commentario explicata.

Proximi feretro Cursores Apostolici, togati, baculos argenteos manu gestantes, bini præibant: ijq. prout opus erat, huc illuc gradiebantur, vt rectum processionis ordinem tuerentur.

Feretrum autem e basilica ipsa beati P E T R I, apostolorum principis, vsque ad ecclesiam S. C A E C I L I A E apud montem Iordanum sublatum est humeris canonicorum illius basilicæ: qui rochetis, statisq. suis ornamentis induti, præ se ferebant in eo opere plenissimam pietatis effigiem. Inde vero Canonici Lateranenses, stato canonicali ornatu, vsque ad ecclesiam S. Marcelli, quæ e conspectu est viæ rectæ ad portam Flamminiam, subierunt onus pari debiti officij significatione.

Tertio autem loco pium hoc opus pientissime etiam præstiterunt canonici S. M A R I A E Maioris: qui itidem, vt illi, decoro habitu, ab ea ecclesia in suam basilicam feretrum, corpusq. tanti Pontificis gaudenti animo intulerunt.

A feretri porro lateribus procedebant ordine milites Heluetij, & machærophori: ij scilicet, qui sunt a custodia palatij pontificij, qui tamquam stipatores, hastatis armis fulti, ab eo procul dimouebant ingentem hominum multitudinem, quorum fuit concursatio ad sollemnitatem longe frequentissima.

Et vero feretrum proxime sequebatur eiusdem sanctissimi D. N. familia, equestri incessu: cui magister carimoniarum præibat, & clauigeri item duo, qui clauas argenteas manugebant. Eorum omnium princeps, Magister domus pontificiæ, et prælati, dignitatis splendore insigniores, qui S. D. N. assistunt, amplis lacernis induti, pileis pontificalibus condecorati, mulis, pontificio ritu ornatis aduehebantur.

Omnes hos subsequebantur quàm plurimi alij, et Episcopi, et Prælati diuersorum ordinum Curie Romanæ, vtpote Proto-

notarij, Referendarij, Auditores Rotæ, Clericiq. Camerae. Ea procedendi ratio ad aspectum pulcherrima extitit.

Hoc ordine a Basilica Vaticana S. Petri itum est via, quæ Palpalis vocatur, ad palatium vsque S. Marci: inde flexu ad læuam, vsque ad ecclesiam S. Marcelli, mox ad montem Quirinalem, tum ad sinistram via Pia, quam olim altam semitam vocitarunt, demum via Felicia, quam nuper eius Sanctitas aperuit, ad basilicam vsque S. MARIÆ Maioris, quò corpus efferebatur.

Toto processione itinere incredibilis multitudo, ac fere tanta, quantam vrbs Roma capit, processione sollempnitati præsto fuit. Vndique e vicis, ex omni foro, ex officinis, tabernis, domibusq. omnibus concursus factus est hominum, tum spectantium, tum pompam comitantium, sanctiq. Pontificis memoriam recoleantium. Atque in eo tam ingenti concursione mirum, sanctumq. silentium omnium.

Denique ianua eiusdem basilicæ maiori ingressa est tota processio: tum vero comitatus equestris constitit. Corpus autem in basilicam, tam sollempniter illatum, ante sacrum locum, quæ Confessio nuncupatur, ad maius altare versus depositum est super suggesto ibi erecto. Tum, cum illud ita collocatum esset, canonicus eiusdem basilicæ sacerdos, pluuiiali nigro indutus, officium rite peregit, aquam benedictam circa feretrum aspersit, thure adoleuit, responsoria, versus, aliasq. stas precibus dixit ad sollempnis ritus præscriptum.

His ordine recteq. peractis, cum iam pene aduersperasceret, omnes quicumque aderant, exceptis ijs, quorum opera præsentiaq. erat necessaria, e basilica exclusi sunt. Aderant autem quàm frequentissime vtriusque sexus Christi fideles, vsque eo vt basilica ipsa, quamuis magna & ampla, fere ad punctum temporis completa esset. Vix e feretri lateribus ij dimoueri poterant, ne ab armatis quidem militibus: quippe cum præ multa animi deuotione erga PIVM sanctissimum Pontificem gestirent omnes ipsum feretrum amplecti, osculari, aut manu saltem, aut precationum coronis attingere.

Demum igitur subterraneum sepulcrum, quod prope illud honorarium humi effossum est, hora circiter prima noctis aperitur: apertum stas precibus sacerdos benedixit, ministris adiu-

adiuantibus. Mox illuc feretrum multis circumfufum luminibus, allatum est sacra cum prece sacerdotum. Qua sane re acta, tandem capsula ipsa cupressæ, quæ alteram plumbeam continet, vbi Pontificis PII corpus inclusum est, in id sepulcrum nouum apte demissa, recteq. collocata est: in quo sepulcro nemo adhuc humatus est, neque in posterum humabitur ex S. D. N. decreto. Sic igitur in sepulturam dato Pontificis corpore, tum denique sepulcrum operculo rotundo marmoreo, vndique bene cohærenti clausum est, cum ex eiusdem S. D. N. iussu idem R. D. Gulielmus Sangalletus ita fieri mandarit.

Hæc omnia acta sunt RR. DD. Ludouico Cerafolio, Siluio Drusolinio, eiusdem basilicæ S. MARIÆ Maioris canonicis, Valerio Attracino Cappellano eiusdem Sacelli Sixtiani ad præsepe, & Francisco Mucantio, ac Paulo Alaleonio, S. D. N. Papæ cerimoniarum magistris, præsentibus: atque hi quidem duo rogati, publicas eorum actorum tabulas confecerunt ad perpetuam rei memoriam.

Die proxime sequenti, quæ dies Dominica fuit, nempe quarto Idus Ianuarij, etiam si corpus in sepulturam illatum esset, tanta ad basilicam S. MARIÆ Maioris effusio hominum, tantus populi concursus fuit, vt Vrbs pene tota pie effusa videretur ad recolendam PII V. Pontificis memoriam. Plenæ vbiq. viæ confluentium, plenum basilicæ atrium, completa ipsa basilica precantium multitudine. Nemo autem erat, quin in Sacellum Sixtianum ingredi contēderet, vbi supplex oraret.

Tertio autem Idus Ianuarij, qui dies fuit feria secunda, iussu S. D. N. folio pontificio in eadem basilica collocato, sessione Illustrissimorum Cardinalium, & Prælatorum, ordine dispositis circum altare, supra cuius ciborium sacræ reliquiæ asseruantur, Missa sollempnis in eo ipso altari pro anima defuncti Pontificis ab Illustrissimo Cardinale Caraffa celebrata est, qui Cardinalis ab eo creatus iam fuerat. Huic celebritati S. D. N. vna cum cardinalibus numero quadraginta quattuor, interfuit. Aderant quoque Oratores Regis Galliæ, Venetorum, & Ducis Sabaudia, qui apud folium stabant. Patriarchæ item aderant, & Prælati assistentes, ceteriq. omnes, quos adesse sollempne est. Coenotaphium autem defuncti Pontificis corpus repæ-

repræsentans, eodem aurei operis pallio, de quo supra, vndique contextum, eo ipso loco, vbi sabbato proxime præcedenti feretrum cum corpore collocatum fuerat, præclare positum extitit funalibus quadraginta hinc inde collucentibus.

Peraçto Missæ sollemnis officio, Antonius Buccapadulius, vir et omni liberalium disciplinarum scientia, et dicendi doctrina egregie eruditus, orationem habuit grauem, expolitâ & rei, de qua agebatur, plane accommodatam, quam S. D. N. attente audiuit, nec vero sine lacrymis. Id quod etiam plerisque contigit. Oratione porro habita, cœnotaphium a clericis ministrisq. inde ad gradus solij Pontificis allatum est. Is, cum a cantoribus responsum illud, *Libera me &c.* cum suis versiculis recitatum est, imposito in thuribulum thure, stans absque mitra, vt moris est, cœnotaphium ipsum aqua benedicta asperfit, thurificauitq. ac demum absolutionem rite peregit.

Eam vero ob causam ad illud altare, de quo dictum est, nec vero in Sacello Sixtiano ad Præsepe celebratum est eiusmodi exequiarum officium, quoniam S. D. N. nequaquam decere visum est, vbi Præsepe Domini est, officia funebria agi, cum fas non sit, locum esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ, inquit sanctissimus Pontifex, Leo Magnus.



ANTONII BUCCAPADVLII ORATIO

IN TRANSLATIONEM PII V.
PONT. MAX.

HABITA AD SIXTVM V.
Pontificem Maximum.



VT nulla vmquam esse poterit, PATER BEATISSIME, vllius omnino mentis tanta vis, quæ possit habere plane cognitam, et comprehensam summam Dei bonitatem, vt potes res finita, causam infinitam; sic, quòd illa omnibus in rebus eluceat, numquam poterit nobis deesse materia eius agnoscendæ: tacitaq. existimatione suspiciendæ, et venerandæ: cuius etiam in congressibus, sermonibusq. celebrandæ, quæcumque facultas datur, cupidissime est arripienda. Quod quidem nunc fieri velle, req. ipsa facere te, P. B. omnes videmus in corpore Pij V. Pontificis Maximi summo cum honore transferendo, augustissimoq. hoc in templo excipiendo; inq. monumentum amplissimum, eius memoriæ a te constitutum, inferendo, ac tuis pene manibus collocando. Diuino autem cõsilio factum esse interpretamur, vt eò ne exportaretur, quòd ille maxime voluisset.

I Primum,

Gen. 23.
 Gen. 25.
 B. Hiero.
 epist. 27.
 ad Eusto-
 chium.

Primum, vt nobis ne adimeretur: quo nomine vniuersi tibi gratias agimus: neque enim iucundissima hac illius memoria hæc Vrbs æquo animo carere potuisset: deinde vt hæc officij illius memoriæ tribuendi facultas tuæ potissimum laudi reseruaretur: postremo, vt quod ille Pontifex fecisset Paulo III. Pontifici sanctissimo, a quo Cardinalis creatus fuisset, hoc idem a te Pontifice, quem ipse eadem dignitate ornasset, acciperet. Sic enim omnes censent, officij vicem cuique reddi æquum esse eodem in genere, in quo quisque alium officio complexus esset. Quòd si tantopere celebratur pietas Ioseph, in Iacob parentis sui corpore, frequentissimo, et nobilissimo comitatu et pompa, inferendo in speluncam duplicem, auorum scilicet suorum Abraæ, et Saræ sepulcrum, in agro Hephron; quibus tandem laudibus prosequemur hoc tuum officium, P. B. si personas inter se, si res cum rebus conferamus? Fecit ille vir summus, summo Patriarchæ: facis tu Summus Pontifex, et Christi Vicarius, Summo item Pontifici, et Christi Vicario. Contulerunt se Ægypti proceres ad exequias cohonestandas, Pharaonis iussu: conuenit sanctissimus ordo sacerdotum ad Dei gloriam celebrandam tuo iussu: ades, circumstat ordo amplissimus S. R. E. Cardinalium et tuo inuitatu, et sua etiam summa voluntate. Intulit ille in speluncam duplicem: tu triplici cum loci honore intulisti in basilicam hanc religiosissimam: in ædem a te hic magnificentissime exædificatam: in monumentum egregio a te ibidem opere extructum.

Ille

Ille magno cum fletu, et luctu: tu, nisi quod interdum tangeris, vt necesse est, nonnullarum rerum recordatione, ceterum hæc facis, & cernis lætus. Ille nullo adhibito sacrificio: tu adhibito verissimo, et sanctissimo Christi Domini carnis, & sanguinis sacrificio. Est igitur hoc tuum factum omni ex parte laudatissimum: nobis iucundissimum: optimi Pontificis memoriæ maxime debitum: tua præstanti pietate dignissimum. Quid enim est, in quo summopere commenderis, Pater Beatissime? Summa quædam a te habita ratio Dei gloriæ, cuius tu semper studiosissimus fuisti: quam nunc etiam in primis spectasse te, (quod huic orationi propositum est) perfacile erit ostendere. Abducamus animum parumper a Pio V. ne quis forte existimet, hoc a te homini magis, quàm causæ tributum esse, neve ego videar illius laudationem suscepisse. Neque suscepi, neque facile præstare possum, neque conari necesse est. Quæ enim maxime excellunt, vt ipsa per sese admirationem mouent, sic nullius laudationem desiderant. Possunt laudibus exornari ea, quæ speciem, partemve aliquam recti, atque honesti habent, non quæ omni ex parte perfecta sunt, maximeq. apparent. Abeamus nunc igitur a Pio V. fingamusq. nobis cogitatione alium quendam illius persimilem. Sit aliquis magnis quibusdam virtutibus cumulatus: neque ijs modo, quas humana philosophia agnoscit, sed ijs etiam, quæ Christianorum propriæ sunt, quæq. hominem Deo gratum, atque acceptum reddunt. Adiungat vero sibi hic, quem ponimus, in his præcipuas

I 2 quasdam

quasdam, in quibus excellat, in iuuentute perfectionis professionem: progrediente ætate, adeptisq. honoribus, in sacerdotio eximiam sanctitatem: in omni munere obeundo, perpetuam pro catholica religione dimicationem: in Pontificatu summam vigilantiam, atque animarum salutis curam: in summo Pontificatu, summum studium catholicæ Ecclesiæ amplitudinis: omnibus in rebus incredibilem quendam Dei gloriæ zelum: extent etiam huius talis, ac tanti viri summa quædam in Christianam Rempublicam promerita. Qui poterit honos huius memoriæ tributus, cuius vita nihil aliud fuit, nisi perpetua Dei laus, non cum summa eiusdem Dei, bonorum omnium auctoris, et largitoris, laude esse cõiunctus? Hæc omnia in Pio V. recognouisse, inq. eius memoria ornanda cogitasse te, P. B. omnes intelligimus: voluisse, inquam, Deum in illo: illum in Deo spectari, Deum celebrari, quia hunc potissimum elegisset, quem tam multis, tamq. perfectis bonis cumularet: hunc honore affici, quia in omni vita semper sese Dei voluntati commisisset, totumq. tradidisset: indeq. res, rationesq. suas omnes pendere voluisset. Et quamquam æquissimum est putare te, qui bene de te meritis gratissimum semper animo, req. ipsa præbuidisti, aliquam etiam in hoc officio, eius, quæ tibi cum illo intercesserat, amicitia rationem habuisse; tamen, non id solum, aut maxime spectasse te certum habemus, resq. ipsa loquitur. Vñus hoc eodem officio es, hoc eodem in templo, & quidem tum, cum res tuæ admodum angustæ essent,

in Nico-

in Nicolao IIII. eiq. statuam, monumentumq. ornarissimum statuidisti, quem tu certe numquam videras: neque vllis ab eo beneficijs affectus eras: multis enim iam sæculis antecesserat. Quid igitur secutus in vtroque es? quid spectasti? id vnum, quo illorum virtutes, & res gestæ referendæ erant, Dei gloriam. Illa præterea, quæ eodem pertinebant, quæquæ a te mihi, dum hoc dicendi munus imponeres, diuinitus sunt exposita. Fidelium corpora esse, vt Apostolus frequenter appellat, templa Dei, membra Christi, templa Spiritus sancti: sacro nimirum baptismo expiata, chrismate delibuta, Christi sanguine consecrata, eius cruce insignita, fidei lumine collustrata, Christo Domino, sacrosancta Eucharistia sumèda, in intima penetralia admissio, in perpetuum dicata: fore enim, vt hæc ipsa corpora reuiuiscant, fruanturq. si quidem pie sancteq. vixerint, beatitudine sempiterna. Addebas etiam, si hæc tanta dignitas communis esset corporibus fidelium omnium, quantam esse oporteret sacerdotum? quantam Pontificum? quantam summorum Pontificum? quantam Pij V. denique? Tam pretiosum igitur vas, tam præclarum Spiritus sancti instrumentum, honorificentissime condididisti oportere. Diuinam plane esse hac in re sententiã B. Dionysij Areopagitæ, cuius etiam verba a me recitari voluisti. Is igitur exponens ritum eius temporis sepeliendi claros, & virtute præstantes viros, ceteris „ enarratis, sic ait: „ His peractis, Pontifex reponit „ in loco honesto corpus, cum ceteris eiusdem ordinis sanctis corporibus: si enim anima, & corpore,

1. Cor. 3.
6.
2. Cor. 6.

B. Aug. de
cura agē-
da p. mor-
tuos ca. 3.
to. 4.

B. Dion.
de Ecclef.
hierar. fe-
re in ex-
tremo.

„pore, Deo gratam, atque acceptam vitam egit is,
 „qui decessit, in honore, & pretio erit cum sancta
 „anima corpus, quod sacris sudoribus decertauit.
 „hinc diuina iustitia largitur ei digna premia cum
 „suo corpore, vt comite, & particeps sanctæ vitæ.
 Hoc tuum fuit consiliū, P. B. in hoc honore Pij V.
 memoriæ tribuendo. Refert igitur hinc vterque
 vestrum fructum permagnum: ille, si quid forte
 hæret, vt est humanæ naturæ infirmitas, terrenæ
 contagionis, maximum proculdubio ex tuis pre-
 cibus, atque ex sanctissimo sacrificio leuamentum
 accepit. Si vero (quod sperandum est) beatus iam
 Deo fruitur, oratio tua in sinum tuum est conuer-
 sa, simulq. illi Deum intuenti, hæc q. nunc peragi
 conspicienti nouum quoddam gaudium accedit:
 sicq. ipse exultans secum: En hæc mihi nunc facit
 SIXTVS meus, quem ego FELICEM haud felici-
 bus suis in rebus vnice dilexi: quem consilio, au-
 ctoritate, opera semper iuui: cuius necessitates sub-
 leuauit: quem Pontifex factus, amplissima dignita-
 te, sed ipsius virtuti debita, ornavit: quem nunc suc-
 cessorem meum conspicio. Redde eius pietati, Pa-
 ter, bona omnia. Adesto ei, Christe, verbum Patris,
 in tantis laboribus, ac molestijs, quantis ego Pon-
 tificatum refertum esse expertus sum. Da ei, quod
 mihi assidue oranti, proq. mea parte etiam conan-
 ti es largitus, vt videat Ecclesiam tuam, tuo san-
 guine acquisitam, amplissimos de hæreticorum,
 ac barbarorum impietate triumphos referentem.
 Impetra hæc tu, Virgo sanctissima, a Filio tuo, ad
 cuius nunc Præsepe, commodiore tunc tibi eius
 pariendi

Psal. 34.

pariendi loco denegato (ò immensam, tum Ma-
 tris, tum Filij Dei humilitatem) ad cuius Præsepe
 in me seruo tuo celebratur gloria Filij tui. Hæc ille
 tibi, catholicæq. Ecclesiæ precatur, P. B. Nos ea-
 dem omnes, demisso, humiliq. animo, votisq. om-
 nibus precamur.

F I N I S.

coplet

